



In orationem Ciceronis Pro Milone,

<https://hdl.handle.net/1874/421196>

see
IN ORATIO

NEM CICERONIS PRO MI
lone, Dispositio Philippi
Melanchthonis iam
recens scripta.



Basiliae Anno M. D. XXXV.

IN ORATIO

IN OMNIBUS REBUS
Sunt. Quoties in
Mentibus
reus scilicet.



IN OMNIBUS REBUS
Sunt. Quoties in
Mentibus
reus scilicet.

IN ORATIO

NEM CICERONIS PRO

Milone, Dispositio Phi-

lippi Melanchthonis

iam recens

scripta.



RATIO PRO
Milone est ge-
neris iudicia-
lis, Stat⁹ est iu-
ridicialis, quæ
ritur enim de

iure. Est igitur hæc propositio prin-
cipalis huius orationis, & status
totius negocij. MILO IVRE IN-
TERFECIT CLODIVM.

Principalis syllogismus huius
causæ est, Vim vi depellere licet.
Milo vim a Clodio illatam vi de-
pulsit. Igitur Milo iure interfecit

A ij

DISPOSITIO PHIL. MEL.

Clodium. Maior cum sit manifesta, præsertim si auditor sit admonitus de genere, uidelicet quod sit lex naturæ, nõ habet opus probatione. Itaque Cicero non tam probat quæ ornat eam, sed ad locum communem refert de lege naturæ. Minor est κρινόμενον in hac tota disputatione. Ideo maxima pars orationis in ea consumitur, & pertinet minor ad statum coniecturalem, quia est facti quæstio, uter alteri insidiatus sit. Cum autem duo sint in summa loci status coniecturalis, uoluntas & facultas, sumit Cicero argumenta primum a uoluntate utriusque, deinde a facultate, quibus fidem facit Clodium insidias fecisse Miloni. Lõgum fuerit hic recensere singula argumenta, sed
 monstra

IN ORA. PRO MILONE.

mōstrabimus ea & distribuemus
 suis locis. Tantum memineris id
 quod in singulis caussis facere ne
 cesse est, statum principalem, seu
 propositionem principalē nego-
 cij: Milo iure occidit Clodium,
 deinde κρινόμδρου: Clodius insidia-
 tus est Miloni. Nam hæc duo in
 qualibet disputatione, status &
 κρινόμδρου præcipue requiri debent.
 Causa acta est magno tumultu,
 quia Clodij factio potens erat, &
 Milonē atrociter deposcebat ad
 poenam. Quare & Senatuscōsul-
 tum factum est, quod ualde præ-
 grauabat Milonē. Nam eiusmodi
 Senatusconsultum non fiebat,
 nisi in periculosissimis seditioni-
 bus. De his præiudicijs queritur
 Cicero, q̄ suo loco exponemus.

DISPOSITIO PHIL. MEL.

EXORDIUM

Constat tribus locis, querela, adhortatione, & correctiōe, in qua breuiter indicat, quo argumento defensurus sit Milonem, propterea q̄ id cum esset æquissimum, in primis ualuit, ut æquo animo audirent eū iudices. Querela aut̄ iusta fuit, quia Pompeius tanq̄ in re atrocissima delectus habuerat, cohortes armatas deposuerat in foro, cum exerceretur iudiciū. Itaq; amici Milonis metu armorum deterriti, minus libere p̄ eo niti aut suffragari poterant. Ideo Cicero ab hac querela orditur, sed prudenter tñ addit inuersionem, quo cōsilio forum septū sit armatis, & ut iudices cōfirmet, & ne Pompeiū nimiū offendat.

Et

IN ORA. PRO MILONE.

ET SI VEREOR IVDICES &c.

Querela, q̄ forum septum sit ar-
matis.

SED ME RECREAT &c.

Inuersio, q̄ arma deposita sint nō
contra Milonem, sed pro salute
Milonis.

RELIQVA VERO MVL

TITVDO &c.

Addit ex uicino de populi stu-
dijs. Armati non aduersant̄, nec
populus, etsi sediciosi quidam cō-
tra Milonem uociferantur. Estq̄
hæc occupatio necessaria, q̄a ami-
ci Milonis deterrebantur concio-
nibus tribunitijs, in quibus sedi-
tiosa multitudo contra Milonem
incitabatur. Quare opus fuit hac
extenuatiōe Clodianæ factionis.

QVAMOBREM ADESTE &c.

II. pars exordij, q̄ est adhortatio

A iij

DISPOSITIO PHIL. MEL:
ad iudices, ut fortiter iudicent.
ET QUIDEM CÆTERAS &c.
Indignitatem exaggerat ex colla-
tiōe meritorum & periculorum,
q̄ Milo semper extra iudicia cum
sediciosus depugnauerit & pericu-
la susceperit, nunc certe in ipso iu-
dicio nihil debebat habere piculi.
QUANQ̄ IN HAC CAUSSA &c.
Tertia pars exordiij, et est reiectio
Non defendam Milonem a meri-
tis publicis, sed eo argumento,
quod est æquissimum.

SED ANTEQVAM &c.
Transitio.

NECANT INTVERI &c.
Priusq̄ ad causam accedit, præ-
iudicia quædã diluit, quibus ma-
gnopere prægrauabat causa Mi-
lonis. Primum autem, quia gene-
rale est, minus lædebat Milonē,
scilicet

IN ORA. PRO MILONE:

scilicet, q̄ uociferabātur aduersa-
rii, non esse concedendū in Rep.
iure & legibus cōstituta, ut quisq̄
indemnatus interficeretur, ut pri-
uati arma caperēt &c. Cicero con-
tra opponit exempla, quæ testan-
tur aliquando iure interfici etiam
indemnatos. Deinde addit ratio-
nem & casum, in quo ius palam
concedit indemnātū interficere,
scilicet, cum uis ui depellenda est,
& uenuste amplificatur hic locus
communis translatus ad genus.
Admonet enim Cicero, q̄ sit ius
naturæ. Itaq; inserit ornatissimā
descriptionem iuris naturæ: non
scripta, sed nata lex, quam non di-
dicimus, accepimus, legimus, ue-
rum etiam ex natura ipsa arripui-
mus, hausimus &c. Ideo autem

DISPOSITIO PHIL. MEL.

profuit amplificare hanc sententiam, quia erit fons præcipuæ probationis in hac causa: Est enim maior syllogismi principalis huius cōtrouersia. Latina exempla nemini sunt ignota. Sed fit mētio Orestis etiam, quem dicit absolutum esse deæ sapientissime sententia, id plærìque de Diana interpretantur, sed falluntur: Cicero enim Palladem intelligit. Nam Palladis iudicio Athenis in Areo pago absolutus ē Orestes, priusq̄ ad Dianam profectus est, ut testatur Euripides ordine commemorans iudicium in Tragedia Iphigenia in Tauris.

Euripidis uersus hi sunt:

ὡς δ' εἰς ἄρειον ὄχθον ἦκαμ, ἐς δίκημ
 τ' ἔστη, ἐγὼ μὲν θάτερον λαβὼν βάθρομ

IN ORA. PRO MILONE.

Ἐὶ δ' ἄλλο πρέσβειρ' ἢ πόρ' ἠνέεινύωρ
 εἰπῶν, ἀκούσασθ' αἵματος μητρὸς πέλει
 Φοῖβος μ' ἔστωσι μαρτυρῶν, ἴθυσ δέ μοι
 Ἰήφους ἀκείθμηζε παχχάσ' ὠλένη,
 νικῶν δ' ἀπ' ἡρα φόνια περατ' ἔλα.

Id est:

Ut in iudiciū ueni ī uico Martio
 Egoq; in altero subsellio steti:
 In altero q̄dā dicēs p̄ Erynnibus
 Hic Phœbus cedis audiēs cām piā
 Defēdit ipse testis: at Pallas mihi
 Effecit ut ferrentur calculi pares,
 Victor remouī signa parricidij.

Facit huius iudicij mentio-
 nem & Demosthenes in oratiōe
 κατὰ ἀεισχροτόν, ubi inquit, iudi-
 cia capitis duo a Dijs facta esse in
 Areopago, in altero Martem ab-
 solutum esse, qui stupratorem si-
 lig interfecerat, in altero Orestem

DISPOSITIO PHIL. MEL.

absolutum esse, quod ultus esset patris necem. Idem est apud Pausaniam in Atticis. Hec uidentur homines sapientissimi finxisse, ut significarent, iudices debere discernere inter caedem dolo factam, & factam ex aliquo iusto dolore uel probabili causa, & interdum in aliquo casu legum seueritatem in poena mitigandam esse. Itaque huius moderationis, seu ἐπιεικείας Deos authores fecerunt, ne uidelicet ipsi iudices uiderentur temere a legibus discedere.

EST ERGO HÆC IUDICES
NON &c.

Conclusio, in qua transfertur ratio ad locum communem seu genus, scilicet ad legem naturæ.

SEQVITVR ILLVD &c.

Duo præiudicia sequentia sub
obscura

IN ORA: PRO MILONE.

obscura uidentur ijs, qui nō satis
norunt formā Romanæ Reipub:
Ideo sciēdum est, qñ Senatuscon
sultum fiebat in hęc uerba, uideri
illud esse cōtra Remp. Item, ut ui
derēt Consules, nequid Resp. de
trimenti caperet: hoc Senatuscon
sulto dabat summa potestas Con
sulibus habendi delectūs, armis
opprimendi, etiam sine iudicio,
eos aduersus quos factum erat Se
natusconsultū. In summa, simile
quiddam erat proscriptioni, qua
lis nūc est, cum Imperator aliquē
principem proscribit. Cum autē
tale Senatusconsultum iam factū
esset, certe pręgrauabatur Milo,
propemodū em̄ habebat pro pro
scripto ac reo lesē maiestatis. Ideo
que Pōpeius conscripsit exercitū

DISPOSITIO PHIL. MEL.

contra Milonem, & tamen acer-
 bitatē huius Senatusconsulti ipse
 quoq; nouo exemplo leniit, scili-
 cet, quod tulit ut res cognosceret-
 tur ac iudicaretur. Sed tamen in
 hoc iudicio plus periculi fuit, q̄ si
 ordinaria uia res fuisset cognita:
 sicut principibus hoc tēpore mi-
 nus periculi est in iudicijs ordina-
 rijs, ubi ualent multæ exceptio-
 nes, negocij prorogationes, stu-
 dia amicorum. Ita Milo in iudi-
 cio usitato multa habiturus erat
 commoda, quæ nō habuit in hoc
 inusitato iudicio: nam & species
 illa proscriptionis prægrauabat
 eum. Item quia præsidium con-
 tra eum conscriptum erat, ami-
 ci eius minus audebant pro eo ni-
 ti. Hæ sunt causæ, quare Cice-
 ro

IN ORA. PRO MILONE.

ro toties reprehendit hanc nouam quæstionem constitutam. Nam noua quæstio complectitur hæc duo, uidelicet et Senatus consultum illud atrox, quo Milo habebatur propemodum pro reo læsæ maiestatis, & hoc extraordinariū iudicium, quo & si leniebatur senatuscōsulti atrocitas, tamen plurimum habuit periculi, & probabile est Milonem in iudicio ordinario seruari potuisse. Reprehēdit autem iure Cicero Pompeium collectis multis exemplis, quibus ostēdit nihil simile fuisse decretū interfectis clarissimis uiris Scipione, Druso & alijs, sed senatum reiecisse ea negocia ad ordinaria & usitata iudicia: & cōmemorat Cicero, senatū principio in

DISPOSITIO PHIL. MEL.

causa Milonis nihil noui uoluisse decernere, & tamē postea aliquanto durius Senatusconsultum factū est opera factionis Clodiane. Quancūq; id quoq; mitigat Cicero ut postea dicā, & ostēdit mollius fuisse ea lege quam postea tulit Pompeius, ideo duo sunt præiudicia, alterū Senatus, alterū Pompei durius.

CVR IGITVR INCENDIUM &c.

Senatusconsultum mitigatur tripliciter. Primum q̄ fuerit generale, complectens utranq; partem, quare non poterat uideri Milo p̄prie dānatus. Secundo, q̄ discrete addiderit de usitatis iudicijs. Multa autem cōmoda habiturus erat Milo in iudicijs ordinarijs. Tertio, q̄ ad extremum nihil cōmuni

IN ORA. PRO MILONE

muni cōsensu Senatus decretum sit, propterea q̄ eū Tribunus intercessisset, Senatui erepta ē facultas aliquid decernendi.

NVLLA VIS VNQVAM

Generalis respōsio est, quæ interpretatur & mitigat Senatusconsultū. Semper, inquit, exemplum est malum, etiam si interdum in aliquo casu habet author cedis excusationem, ut cum Nasica priuatus, occidit Tiberium, exemplū certe minime erat probabile, & tamen aliquam excusationem Nasica habuit. Recte igitur Senatus facit, q̄ in exemplo periculoso quæstionem constituit, quia periculosa exempla non sunt negligenda. Et tamen cōstituta quæstione prudēter reliquit Senatus Miloni le-

DISPOSITIO PHIL. MEL.

gittimam defensionem.

DIVIDERE SENTENTIAS.

Diuidere sententiam est, cum in sententia multæ partes sunt, nominatim ac diserte de singulis decernere. Cum igitur aliquis postulasset ut Senatores dicerent, quid proprie de Milonis facto iudicaret, & alij condemnarent Milonem, alij dicerent sententias mitiores. Cum non conueniret Tribunus Fufius intercessit. Sic interpretatur Asconius hanc figuram, diuidere sententias. Alij putant esse idem quod numerare suffragia, cū uidelicet multæ ac diuersæ sententiæ dictæ sunt. Id nihil facit ad hunc Ciceronis locum.

AT ENIM CN. POMP.

Cum magni in urbe tumultus
essent

IN ORA. PRO MILONE

essent, & de cæde Clodij & de comitijs, creatus est consul Pompeius sine collega. Et quia in Senatu non cõuenerat de causa Milonis, Consul rem ad se reuocauit, & legem tulit, in qua nominatim proposuit, se quæsiturum esse de cæde Clodij. Hæc ʒo lex magis prægrauabat Milonem, quia talis inquisitionis solebat esse executio quædam re iam dånata, ac propemodũ similis erat proscriptioni, qualis est nostris temporibus. Sed Cicero mitigat legem, dicit hanc inquisitionem non statim executionem esse, præsertim cũ ipse Pompeius nouo exemplo potestatem faciat Miloni dicendæ causæ. Hæc & si deflectit ita Cicero ad suã partẽ, tamen re ipsa sentit prægruari

DISPOSITIO PHIL. MEL.

Milonem, & succenset Pompeio
quasi hoc præiudicio damnet Mi
lonē, & certe usitata iudicia ei ade
mit, ideo sequitur longa in eā sen
tentiā querela, in qua colligit mul
ta exēpla, quibus probat hoc ne
gocium ad usitata iudicia reiſcien
dum fuisse, in quibus, ut dixi, mul
to minus periculi habiturus erat
Milo, quæ in hac noua forma iudicij.

IAM ILLVD DICET &c.

Querela de noua quæſtione con
ſtituta.

DOMI SVÆ NOBILISSIMVS
Exēpla quibus probat non fuisse
nouam quæſtionem conſtituen
dam de factō, sed rem reiſciendam
fuisse ad usitata iudicia.

NON FVIT EA CAVSSA. &c.

Excusat Pompeium.

QVAMOBREM IVDICES &c.

Transitio

IN ORA. PRO MILONE.

Transitio est in qua refutatis præ
iudicijs Cicero defensionem inci-
pit, & proponit quæstionem pro-
priam huius iudicij, uidelicet quæ-
rendum esse, uter fecerit insidias,
id enim erit κρινόµενον. Proposita
hac quæstione principali, instituit
facti narrationem, in qua pruden-
tissime spargit semina totius defen-
sionis, uidelicet, consilia utriusq;
personæ, & occasiones eorū quæ
acciderunt.

INSIDIATOR SVPERATIVS &c.

Minor principalis cōtinens sum-
mā cōtrouersia & totius status.

SIN HOC ET RATIO &c.

Ex narratione collegit in epipho-
nematē summā facti, de qua præ-
cipue dimicatur in hac controuer-
sia, & quæ est minor principalis
syllogismi, ideo nūc inchoat con-

DISPOSITIO PHIL. MEL:

firmationem, atque ita complectitur summam probationem. Verum quia minor syllogismi fit κεινόμενον, ideo repetitur illa propositio, Milo non fecit insidias, sed Clodius. Hæc propositio cum ad statum coniecturalem pertineat, argumenta ducuntur ex locis eius status, uidelicet a uoluntate & facultate. Locus uoluntatis uocatur impulsio, cum a spe commodis, item alijs affectibus impellentibus & hortantibus ad facinus argumentamur. Ac primum argumentum ducitur a spe, quod includemus in syllogismum, & si Cicero ipse non admodum a forma Syllogismi discedit, & quantum paulo liberior est oratio, tamen agnoscimembra facile possunt.

Verè

IN ORA. PRO MILONE.

Verisimile est fecisse insidias eum
cui præcipue bono fuit.

Clodio magis opus fuit Milonē
e medio tolli quam Miloni peri-
re Clodium.

Ideo uerisimilius est Clodiū fe-
cisse insidias.

Minorē probat collatione, quæ
Clodius ea parabat, quæ uiuo Mi-
lone uidit nullo mō p̄fici posse.

Econtra Miloni studebant boni,
ob hanc causam præcipue, ut Clo-
dium reprimeret, ergo extincto
Clodio metuendū ei fuit, ne suf-
fragatores minus firmos habitu-
rus esset.

SATIS EST QUIDEM &c.

Primum argumentum a loco uo-
luntatis, scilicet a spe cōmodorū.

MAGNAM EI CAUSSAM &c.

Minor.

DISPOSITIO PHIL. MEL.

ET SI BONI NVLLO &c.

Maior.

ATQVI MILONE INTERFE-
CTO &c.

Probatio minoris constans colla-
tione.

AT NON P. CLODIO

Altera pars collationis.

AT VALVIT ODIVM &c.

Secundum argumentū, Clodius
magis odit Milonem, Igitur cre-
dibile est Clodium Miloni fecisse
insidias.

RELIQVVM EST VT IAM ILLVM

Tertium argumentum a natura
& ppetuis moribus Clodij. Cre-
dibile est eum potius cōsiliū cæ-
dis faciendę habuisse, qui semper
multa sediciose & crudeliter fecit.
Clodius semper fuit & crudelis
& sediciosus, Milo Clodium ne-
quidem cum gloriose posset, occi-
dere

IN ORA. PRO MILONE.

dere uoluit, igitur uerissimilius est Clodium fecisse insidias. Longa est narratio factorum utriusque, quæ ad minorem pertinet. Addita est amplificatio ex minore. Si Milo tunc non uoluit cum posset sine periculo, quanto minus nunc uoluit cum periculo occidere, & præcipue exaggeratur tempus comitiorum.

QVID ERGO IVDICES &c.

Narratio utriusque factorum.

QVEM IGITUR CVM OMNIVM

Amplificatio a minore.

ET DIES COMITIORVM &c.

Exaggerat tempus comitiorum.

QVID Q² CAPVT &c.

Quartum argumentum. Credibilis est hunc fecisse insidias, qui sperauit impunitatem, Milo non potuit hanc sperare, Igitur non est

DISPOSITIO PHIL. MEL.

credibile Milonē fecisse insidias.
Ponuntur autem ad uerbum ma-
ior & minor syllogismi.

QVID Q. &c.

Maior.

IN VTRO IGITUR &c.

Minor.

SED QVID EGO ARGV. &c.

Sequuntur argumenta facultatis
sumpta ab occasionibus, ac pri-
mum a tēpore itineris ducit. Clo-
dius sciebat iter Milonis, ergo po-
tuit struere insidias. Milo nescie-
bat iter Clodij, ergo ne potuit qui-
dem moliri insidias. Probatio est
antecedentis, Clodius habuit cau-
sam manēdi in urbe, ergo ne qui-
dem fuit exiturus nisi ad cogitatū
facinus. Aditum autē facit ad ar-
gumenta facultatis commemora-
tione minarum Clodij, in qui-
bus

IN ORA. PRO MILONE;

bus ille tempus constituerat .

PVB. CLODIVM ILLO DIE
IN ALBANO

Quidam testis dixerat Clodium
fuisse in Albano pernoctaturū ,
sed nunciata Cyri morte, repente
eum mutasse consilium, & Romā
properasse. Huius testimoniū al-
terā partem detorquet Cicero ad
Milonis excusationem . Si enim
Clodi⁹ in Albano māsurus erat,
ergo neq; egressus est Milo ut ei
occurreret, neq; scire potuit eum
esse rediturum . Alteram partem
callide inuertit: Si Clodius subit-
o mutauit consiliū, ergo non de
Cyri morte nunciatum est, sed de
aduentu Milonis. Ita diluit testi-
monium, & addit rationes de Cy-
ro, non fuisse causam cur prope-

DISPOSITIO PHIL. MEL.

raret propter Cyri mortē. Deinde sequunt̄ rōnes sumptæ a loco.

Prima. Si Milo sciebat aduenire Clodium debuit nō procul ab urbe prouehi, quia facilius occul-
tari facinus potuit ī uicinia urbis.

Secunda de loco. Milo debuit Clodio occurrere priusq̄ in uillā diuerteret, ne elaberet: ne id quī dēfecit Milo, ergo nō habuit cōsiliū faciendi insidias. Hic addit epilogum, in quo repetit sup̄iora argumēta, ut uidelicet ad id quod ualere plurimū uidebatur, aditū sibi faceret. Est aut̄ sumptum a loco pugnæ, item ab apparatu. Clodius restitit in loco cōmodiore, item fuit eques, habuit præter morem secum tantum gladiatorum, item contatus est, ut solent qui expectant

IN ORA. PRO MILONĒ.

peccāt, & moliunt̄ aliquid. Milo
 contra pugnavit iniquo loco, du-
 xit secum uxorem & cætera impe-
 dimenta, ergo non est uerisimile
 Milonem cogitasse de insidijs fa-
 ciendis. Additur cōfutatō de ser-
 uis, nā aduersarij argumentaban-
 tur, Milonem ideo seruos manu-
 misisse, ne rapti ad cruciatus fate-
 rentur & proderent Milonis con-
 silia. Cicero aliam causam manu-
 missionis allegat, scilicet meritos
 esse libertatem, quia dominū de-
 fendissent. Confutat & testimo-
 nia seruorum Clodij, facile enim
 intelligi potest leue testimonium
 esse seruorū Clodij pro Clodio.

VIDEO ENIM ILLVM QVI
 DICITVR

Inuersio. Imo non de Cyro nun-
 ciauit, sed de Milonis aduentu, ut

DISPOSITIO PHIL. MEL.

Clodius haberet spacium occupandi loci insidiarum.

ATQVE VT ILLI NOCTVRNVS VI. argumentum & primum de loco.

ATQVE ILLO DIE CERTE
ARICIA.

VII. argumentum, secundum de loco.

VIDEAMVS NVNC ID

VIII. argumentum & tertium de loco.

Q. SI SATIS NONDVM &c.

IX. argumētum sumitur a signis consequētibus, sciliceta concienria. Bene conscij sunt erecto & intrepido animo, Milo a deo fuit intrepido animo, ut redire ausus sit & se committere iratis & armatis magistratibus. Ergo sibi bene cōscius fuit. Probatio minoris est
longa

IN ORA. PRO MILONE.

longa illa narratio de reditu Milonis, de contemptis suspicionibus & falsis rumoribus, ex quibus plurimum ei fuit periculi, ac per hanc occasionem additur purgatio, qua Milonem purgat Pompeio, ut eximat Pompeio suspensiones, quibus maxime pregrauabatur Milo. Ratio purgationis sumpta est ex Pompei beneficiis. Huic loco in fine addit grauissimam admonitionem, qua comonefacit Pompeium, ne tales amicos abiciat, quorum ei fides aliquando praesidio esse possit in suis periculis, Fortunam enim cum sit mutabilis, etiam ipsi Pompeio metuendam esse. Correctio additur prudentissime cogitata, argumentatur enim ex ipso facto Pompei, quod Milonem saluum esse

DISPOSITIO PHIL. MEL.

uelit. Pompeius em̄ habebat ius
 interficiendi Milonis sine iudicio
 quia facto senatusconsulto, ut uir-
 deret, nequid Resp. detrimenti ac-
 ciperet, iam tacite Milo fuit hostis
 iudicatus, & Pompeio datum ius
 interficiendi Milonem. Debu-
 it igit̄ sine iudicio interficere, si Mi-
 lonem pœna dignum esse statue-
 bat, sed nō interfecit, igitur signi-
 ficat eum nō esse dignum pœna.
 Hic locus subobscurus est, si quis
 Romanum morem & uim Sena-
 tusconsulti non nouit, quo magi-
 stratus in summis periculis arma-
 ri solebant. Facto enim hoc Sena-
 tusconsulto, ut uiderent consules
 nequid Resp. detrimenti caperet,
 dabatur potestas Cōsulibus con-
 scribendi exercitus, eosq; interfi-
 ciendi

IN ORA. PRO MILONE

ciendi, contra quod tale Senatusconsultum fiebat, sicut Cæsar testatur in principio belli civilis cum inquit, quotiescunque decretum sit, darent magistratus operam, ne quid Respublice detrimenti caperet, quo uoce & quo Senatusconsulto populus Romanus ad arma uocatus sit, factum in perniciosis legibus, in uis tribunitia &c. Atque hic finis est defensionis principalis. Sequitur noua defensio, in qua tuetur Milonem alio quodam argumento, uidelicet fuisse e Respublice Clodium interficere, tanquam Tyrannum aut ciuem seditiosum. Quare Milo recte fecerit, & poena liberandus sit.

Quod si satis nondum &c.
Nonum argumentum & ultimum de conscientia. Ordinetur autem a minore.

DISPOSITIO PHIL. MEL.
MAGNA VIS EST &c.

Maior.

AN VERO OBLITI ESTIS?
Declaratio & pbatio minoris de
suspitiōibus ac falsis rumoribus.

MISEROS INTERDVM CIVES.
πᾶσθ.

SED DICAM VT SENTIO &c.
Leuiter reprehendit Pompeij su-
spiciones & timiditatem.

CVM TAMEN SI METVITVR &c.
Purgatio Milonis.

QVOD SI MILONI &c.
Ratio purgationis.

TE MAGNE TAMEN. &c.
Admonitio de conseruandis fi-
dis & firmis amicis.

QVANQ; QVIS CREDAT &c.
Correctio qua pbat ex facto Pō-
peij, q̄ uelit saluū Milonem.

NEC VERO ME IVDICES
Hęc noua defensio & si p̄ sese non
satis firma erat, tamē addita supe-
riori

IN ORA. PRO MILONE

rioni ualet, propterea quod commemoratio flagitiorum Clodij inflammata odia aduersus eum, & Miloni iudices reddit æquiores, ac plane in tam graui causa superior disputatio minus haberet ponderis detractio hoc loco, qui postquam accedit, sonum maiorem addit, & impetu quodam Iudicium animos commouet. Est autem syllogismi summa: Seditiosos ciues licet impune interficere, Clodius fuit seditiosus, Igitur Clodium impune licuit interfici. Maiorem Cicero proponit transformata in exempla, quæ uidelicet eam confirmant. Deinde subiicit longam enumerationem scelerum Clodij, quæ est minor, & probatio minoris, & minor est ornata Antithesi, quantum

DISPOSITIO PHIL. MEL.

prosit ciuitati Clodij interitus :
Deinde adduntur tres amplifica-
tiones. Prima a contrarijs, nemo
cuperet Clodiu in uitam restituere,
ergo mortem ulcisci iniustum
est. Secunda ab exemplo, in grae-
cis ciuitatibus praemia constituta
sunt tyrānicidis. Hic addit occu-
pationem, etiamsi fortibus uiris
non contingunt iusta praemia, in
uirtutis laude contenti sunt. &c.

Conclusio syllogismi, Quamob-
rem utere eadem cōfessione &c.

Tertia amplificatio est grauissi-
ma & splendidissima. Est autem
translatio : causam enim mortis
Clodij transfert in Deos, atq; ita
admonet, hanc gratiam dñs pro
hoc beneficio deberi, ut iudices
Milonem seruēt. In his locis con-
sumitur

IN ORA. PRO MILONE.

sumitur reliqua pars tota usq; ad
perorationem.

SED. HVIVS BENEFICII &c.

In translatione primum propo-
nit, Dñi sunt authores cædis Clo-
dij. Ratiões sumptę sunt a signis,
quia religiones uiolarat, aras de-
molitus fuerat, ergo dñi sumple-
runt de eo pœnas. Secundum si-
gnū a loco sumptū est, ad ipsum
sacellū bonæ deæ interfectus est,
ergo tunc bona dea ulta est pollu-
tas cæremonias, cum antea ulcisci
in iudicio non potuisset. Sequit̃
amplificatio, in qua est longa que-
rela, q̃ nemo unquam eum re-
primere potuerit, ergo nunc dñi
represserunt ad salutem Reip. Ini-
tio uero breuiter inserit locum cō-
munē, quo probat esse Deos, &

NON

C iij

DISPOSITIO PHIL. MEL.

Dñs humana curæ esse, argumen-
 tum ad uerbum sumptum est ex
 Xenophonte: Sicut in nobis est
 mens, quæ & si nō cernitur, tamē
 ex effectibus intelligitur, ita deus
 intelligit̃ ex effectibus, & si aliter
 non cernitur. Cicero autem usus
 est figura orationis non ualde usi-
 tata, sed extāt eius exempla in To-
 picis Ciceronis. Nō est in hoc no-
 stro imbecilli corpore mēs, & nō
 est in illo æterno & pulcherrimo
 corpore mens aliqua. Hæ duę ne-
 gationes habent uim affirmatio-
 nis, & Enthymema efficiūt ex ma-
 iore, hoc modo: Si nostrum cor-
 pus mēte gubernatur, multo ma-
 gis totum mūdi corpus, quasi di-
 cat: Non est consentaneum, cum
 nostrum corpus mente regatur,
 non

IN ORA. PRO MILONE.

non regi mēte totum mundi cor-
pus, ut si dicas, non est opus imi-
tatione in leuioribus artibus, ut
in pingendo, & non est opus imi-
tatione in arte multo difficilima
dicendi: & hoc modo sæpe loqui-
tur Isocrates, interdum etiam De-
mosthenes.

NEC VERO QVISQ; &c.

Locus cōmunis, & est antecedēs.
QVÆ ILLAM PERNICIEM EXTIN.
Consequens.

RELIGIONES ME HERCVLE

Signum probatio antecedentis.
NISI FORTE HOC ETIAM CASV
Secundum signum.

DVRA MIHI MEDIVSFIDIVS

Amplificatio, nemo potuit eum
reprimere, ergo dñj aliquando re-
presserunt ad salutem Reipub.

SED IAM SATIS &c.

Peroratio tantum habet affectus,

DISPOSITIO PHIL. MEL:

uidelicet deprecationē, quā tamē
 trāsfert in suā personam, ne Milo
 uideat̄ aut imbecillior animo, aut
 parum causſæ cōfidere, ac prima
 ratio deprecationis sumpta est ex
 meritis Milonis, & apte fingit Mi
 lonē commemorātem merita, &
 leuiter querentē de ingratitude
 ciuium, deinde consolantem se ex
 loco cōmuni, uidelicet ex officio
 uiri fortis, satis magnū premiū au
 ferre gloriam huius facti. Reliqua
 pars hēt querelā Ciceronis, quan
 to cū dolore amissurus sit Milo
 nem: postea argumentat̄ a Milo
 nis meritis erga ipsū. Tertio alle
 gat sua merita, & sibi Milonē con
 donari petit. Extrema clausula est
 dignum esse Milonem, qui pro
 pter uirtutem retineatur.

NISI

IN ORA. PRO MILONE.

NISI VT OREM &c.

Deprecatio quam transfert in suam personam.

VALEANT INQVIT &c.

Querela Milonis de ingratitude neciuum.

EGO CVM TRIB. PL. &c.

Commemoratio meritorum.

ADDIT HÆC QVÆ CERTE &c.

Consolatio ex loco communi.

NEC VERO SI MIHI ERIPERIS &c.

Querela Cicerōis propria, quanto cum dolore amittat Milonem.

REVOCARE TV ME IN &c.

Ameritis Milonis.

QVODNAM CONCEPI TANTVM &c.

A suis meritis.

IMMO VERO POENAS &c.

Correctio ex loco honestatis.

HICCINE VIR &c.

Clausula, Milo dignus est propter uirtutem, ut retineatur.

M. T. CICE

RONIS PRO T. ANNIO

Milone Oratio.



TSI VEREOR IV
dices, ne turpe sit
pro fortissimo vi
ro dicere incipi
entē, timere, mi
nimeque deceat,
cum Titus Annius Milo ipse ma
gis de Reipub. salute q̄ de sua per
turbetur, me ad eius causam pa
rem animi magnitudinem affer
re non posse: tamen hæc noui iu
dicij noua forma terret oculos, q̄
quocūq; inciderint, ueterem con
suetudinem fori, & pristinū mo
rem iudiciorum minime uident:
non enim corona cōlessus uester
cinctus est, ut solebat; non usita

ORATIO PRO MILONE.

ta frequentia stīpati sumus: nam illa præsidiā, quæ pro templis omnibus cernitis, & si contra uim collata sunt, non afferunt tamen oratori aliquid, ut in foro, & in iudicio, quanquam præsidijs salutaribus, & necessarijs septi sumus: tamen ne non timere quidē sine aliquo timore possimus: que si opposita Miloni putarem, cederem tēpori iudices, nec inter tantam uim armorū existimarē oratori locū esse. Sed me recreat & reficit Cn. Pompei sapientissimi & iustissimi uiri consilium, qui profecto nec iusticiæ sug putaret esse, quem reum sententijs iudicū tradidisset, eundem telis militum dedere, nec sapientiæ, temeritatem concitatae multitudinis auctori-

tate publica armare, quam obrem
 illa arma, centuriones, cohortes,
 non periculum nobis, sed præsi-
 dium denunciant: neque solum ut
 quieto, sed etiã ut magno animo
 simus, hortantur? neque auxilium
 modo defensionis meę, uerum etiã
 silentium pollicentur. Reliqua ue-
 ro multitudo, quæ quidem est ci-
 uium, tota nostra est: neque eorum
 quisquã, quos undique intuentes
 ex hoc ipso loco cernitis, unde ali-
 qua pars fori aspici potest, & huius
 exitum iudicij expectantes, non
 tum uirtuti Milonis fauet, tum de
 se, de liberis suis, de patria, de for-
 tunis, hodierno die certari putat,
 Vnum genus est aduersum infe-
 stumque nobis, eorum, quos P. Clo-
 dij furor rapinis & incendijs, &
 omnibus

ORATIO PRO MILONE.

omnibus exitijs publicis pauit, q̄
 hesternā etiam concione incitati
 sunt, ut uobis uoce præirent, q̄d
 iudicaretis, quorū clamor si quis
 forte fuerit, admonere uos debe-
 bit, ut eum ciuem retineatis, qui
 semper genus illud hominū, cla-
 moresq; maximos pro uestra salu-
 te neglexit: quamobrē adeste ani-
 mis iudices, & timorem, si quem
 habetis deponite. Nā si unq; de
 bonis & fortibus uiris, si unq; de
 benemeritis ciuibus potestas uo-
 bis iudicandi fuit, si deniq; unq;
 locus amplissimorū ordinum de-
 lectis uiris dat⁹ est, ubi sua studia
 erga fortes & bonos ciues q̄ uul-
 tu & uerbis sæpe significassent, re
 & sententijs declararent: hoc pro-
 fecto tpe eam potestatem omnem

M. T. CICERONIS

uos habetis ut statuatis, utrū nos
qui semper uestræ authoritati de-
diti fuimus, semper miserè lugea-
mus, an diu uexati a perditissimis
ciuibus aliquñ per uos ac uestram
fidem, uirtutem, sapientiamq; re-
creemur: quid em̄ nobis duobus
laboriosius iudices, qđ magis sol-
licitum, magis exercitum dici, aut
fingi potest? qui spe amplissimo-
rum premiorum ad Remp. addu-
cti, metu crudelissimorum exitio-
rum carere non possumus. Et qui-
dem cæteras tempestates & pro-
cellas in illis dūtaxat fluctibus cō-
cionum, semp̄ putauī Miloni esse
subeundas, quod semper pro bo-
nis contra improbos senserat: in
iudicio uero & in eo consilio in q̄
ex cunctis ordinibus amplissimi
uiri

ORATIO PRO MILONE.

uiri iudicarent, nunquā existimaui
 spem ullā esse habituros Milonis
 inimicos, ad eius nō salutem mo-
 do extinguendam, sed etiam glo-
 riam per tales uiros infringendā.
 Quāquā in hac caussa Iudices Titī
 Annij tribunatu rebus omnibus
 pro salute Reip. gestis, ad huius
 criminis defensionem non abute-
 mur, nisi oculis uideritis insidias
 Miloni a Clodio factas, nec depre-
 caturi sumus, ut crimē hoc nobis
 multa propter præclara in Remp:
 merita condonetis, nec postulatu-
 ri, ut si mors P. Clodij sal^o uestra
 fuerit, idcirco eā uirtuti Milonis
 potius quā populi Ro. foelicitati assi-
 gnetis: sed si illius insidiæ clario-
 res hac luce fuerint, tū denique ob-
 secrabo, obtestaborque uos Iudi-

M. T. CICERONIS

ces, si cetera amisimus, hoc saltem nobis ut relinquatur, ab inimicorum audacia telisque uitā, ut impune liceat defendere. Sed antequam ad eam orationem ueniam, quæ est propria nostræ quæstionis, uidentur ea esse refutanda, quæ in Senatu sæpe ab inimicis, ab improbis sæpe iactata sunt, & in concione etiā paulo ante ab accusatoribus, ut omni errore sublato, rem plane quæ uenit in iudiciū uidere possitis. Negant intueri lucem fas esse ei, qui a se hominē occisum fateatur: in qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant: nempe in ea, quæ primū iudicium de capite uidit M. Horatij fortissimi uiri, qui nondum libera ciuitate, tamen populi Romani comitijs liberatus

ORATIO PRO MILONE.

beratus est, cū sua manu sororem
 esse interfectam fateretur: an est
 quisquā, qui hoc ignoret, cum de
 homine occiso quærat, aut negari
 solere oīno esse factum, aut iure fa-
 ctū esse defendi. Nisi uero existi-
 matis dementem P. Africanum
 fuisse, qui cum a Carbone Tribu-
 no pl. in concione seditiose inter-
 rogaret, quid de T. Gracchi mor-
 te sentiret: respondit iure cæsum
 uideri: neq; enim posset aut Hala-
 ille Seruilius, aut P. Nasica, aut
 L. Opimius, aut C. Marius, aut
 me Consule Senatus nō nefarius
 haberi, si sceleratos ciues interfici
 nefas esset. Itaq; hoc iudices nō si-
 ne causa fictis fabulis doctissimi
 homines memorię prodiderunt,
 cum qui patris ulciscēdi causa ma-

M. T. CICERONIS

trē necauisset, uariatis hominum
sententijs, non solum diuina, sed
etiam deæ sapientissimæ sentētia
liberatū. Quæ si duodecim tabulæ
nocturnum furem quoquo mo-
do, diurnum autē, si se telo defen-
derit, interfici impune uoluerūt,
quis est, qui quoquo modo quis
interfectus sit puniendum putet?
cum uideat aliquñ gladium nobis
ad occidendum hominē ab ipsis
porrigi legibus. Atqui si tēpus
est ullū iure hominis necandi quæ
multa sunt, certe illud est non mo-
do iustum, uerū etiam necessariū,
cum ui uis illata defendit. Pudici-
ciā cum eriperet militi tribunus
militaris in exercitu C. Marij pro-
pinquus eius imperatoris, inter-
fectus ab eo ē cui uim afferebat: fa-
cere

ORATIO PRO MILONE:

cere enim probus adulescens pe-
 riculose quæ propter turpiter maluit.
 Atque hunc ille uir summus, scele-
 re solutum periculo liberauit: in-
 sidiatori uero & latroni, quæ po-
 test afferri iniusta lex: quid comi-
 tatus nostri: quid gladij uolunt:
 quos habere certe non liceret, si uti
 illis nullo pacto liceret. Est ergo
 hæc iudices non scripta, sed nata
 lex, quam non didicimus, accep-
 imus, legimus, uerum etiã ex natu-
 ra ipsa arripuimus, hausimus, ex-
 pressimus: ad quã non docti, sed
 facti: non instituti, sed imbuti su-
 mus, ut si uita nostra in aliquas in-
 sidias, si in uim, in tela aut latronum
 aut inimicorum incidisset, omnis hone-
 sta ratio esset expediendæ salutis:
 silerent enim leges inter arma, nec se-

M. T. CICERONIS

expectari iubent, cum ei qui expe-
 ctare uelit ante iniusta poena luen-
 da sit q̄; iusta repetēda. Et si pers-
 pienter & quodāmodo tacite dat
 ipsa lex potestatē defendendi, que
 nō modo hominē occidi, sed esse
 cum telo hoīs occidendi causa ue-
 rat, ut cū causa nō telum quærere
 tur, qui sui defendendi causa telo
 esset usus, nō hominis occidendi
 causa habuisse telum iudicaretur.
 Quapropter hoc maneat in causa
 Iudices, non. n. dubito, quin pro-
 baturus sim uobis defensionem
 meā, si id meminertis, quod obli-
 uisci nō potestis, insidiatorē iure
 interfici posse. Sequit̄ illud quod
 a Milonis inimicis sæpissime dici-
 tur, eadē qua P. Clodius occisus
 est, Senatū iudicasse cōtra Remp.
 esse

ORATIO PRO MILONE.

esse factā. Illam uero Senatus non
sententijs suis solum, sed etiā stu-
dijs cōprobauit: quotiens em̄ est
illa causa a nobis acta ī senatu: qui
bus assensionibus uniuersi ordi-
nis: quā nectacitis, nec occultis:
quā em̄ frequentissimo senatu qua-
tuor, ad summum quinque sunt in-
uēti, qui Milonis causam nō pro-
barent: declarant huius ambusti
Tribuni plebis illæ intermortuæ
conciones, quibus quotidie meā
potentiā inuidiose criminabat, cū
diceret, Senatū non quod sentiret,
sed quod ego uellē re decernere: que
quidē si potentia est appellāda po-
tius, quā propter magna in Remp.
merita mediocris in bonis causis
authoritas, aut propter officiosos
labores meos nonnulla apud bo-

nos gratia, appellet̃ ita sane, dum
 modo ea nos utamur ꝑ salute bo
 norum cōtra amentiã perditorū:
 hanc uero quæstionē, & si nō est
 iniqua, nunq̃ tñ Senatus consti
 tuendā putauit. Erāt enim leges,
 erāt quæstiōes, uel de cæde uel de
 ui, nec tantū mœrorē ac luctū Se
 natui mors P. Clodij afferebat, ut
 noua quæstio constituerē: cuius
 em̃ Senatui de illo incesto stupro
 iudiciū decernendi potestas esset
 erepta, de eius interitu q̃s potest
 credere Senatum iudiciū nouum
 constituendum putasse? Cur igit̃
 incendium curiæ, oppugnationē
 ædium Marci Lepidi, cædē hanc
 ipsam cōtra Remp. Senatus factā
 esse decreuit? quia nulla uis unq̃
 est in libera ciuitate suscepta inter
 ciues

ORATIO PRO MILONE.

ciues nō cōtra Remp. Non enim est ulla defensio cōtra uim unquā optanda, sed nōnunquā est necessaria: nisi ꝑo aut ille dies in quo T. Gracchus est cæsus, aut ille quo Caius, aut q̄ arma Saturnini oppressa sunt, etiā si e republica, rem publicā tamen non uulnerarunt. Itaq; ego ipse decreui, cū cædē in Appia factam esse constaret, non eum qui se defendisset cōtra Rem pub. fecisse, sed cum inesset in re uis & insidiæ, crimē iudicio referuauui, rem notauui. Q; si per furiosum illum Tribunū, Senatui, qđ sentiebat, perficere licuisset, nouā quæstionem nunc nullam haberemus. Decernebat em̄ ut ueteribus legibus tantūmodo extra ordinem quæreret. Diuisa sentētia

M. T. CICERONIS

est postulante nescio quo (nihil enim
 necesse est omnium flagitia proferre)
 sic reliqua auctoritas Senatus em-
 pta intercessione sublata est. At enim
 Cn. Pompeius rogatione sua, &
 de re et de causa iudicauit, tulit. n.
 de caede, quae in Appia uia facta
 esset, in qua P. Clodius occisus
 fuit. Quid ergo tulit? nepe ut que-
 reretur. Quid porro querendum est?
 factum ne sit? at constat. A quo? at
 patet. Vidit, etiam in confessione fa-
 cti, iuris tamen defensionem suscipi
 posse, quod nisi uidisset, posse ab-
 solui eum qui fateretur, cum uideret
 nos fateri, neque queri unquam ius-
 sisset, nec uobis tam salutare hanc
 in iudicando literam, quam illam triste
 dedisset. Mihi vero Cn. Pompeius
 non modo nihil grauius contra Milo-
 nem

ORATIO PRO MILONE.

nem iudicasse, sed etiam statuisse
 uidetur, qđ uos in iudicando spe
 ctare oporteret: nam qui non pœ
 nã confessioni, sed defensionẽ de
 dit, is causam interitus quarendã
 non interitum putauit. iam illud
 dicet ipse profecto qđ sua sponte
 fecit, P. ne Clodio tribuendũ pu
 tet, an tempori? Domi suæ nobi
 lissimus uir, senatus ppugnator,
 atq; illis quidem temporibus pe
 ne patronus, auñculus huius no
 stri iudicis fortissimi uiri Catonis
 Tribunus pl. M. Drusus occisus
 est, nihil de eius morte populus
 consultus, nulla quęstio decreta a
 Senatu est. Quantum luctum in
 hac urbe fuisse a nostris patribus
 accepimus, cum P. Africano do
 mi suæ quiescēti illa nocturna uis

esset illata? quis tum non gemuit?
 quis non arsit dolore? quem im-
 mortalem si fieri posset oēs esse cu-
 perent: eius ne necessariā quidem
 expectatam esse mortē. Num igit̃
 ulla quæstio de Africani morte la-
 ta est: certe nulla, qđ ita? quia non
 alio facinore clari hoīes, alio ob-
 scuri necantur. Inter sit inter uitæ
 dignitatem summorum atq; infi-
 morum, mors quidē illata per sce-
 lus ijsdem pœnis teneatur & legi-
 bus, nisi forte magis erit parrici-
 da si quis consularē patrē, q̃ si qs
 humilē necauerit? Aut eo mors
 atrocior erit P. Clodij, q̃ is in mō-
 numētis maiorum suorū sit inter-
 fectus? hoc enim sæpe ab istis di-
 citur, p̃inde quasi Appius ille cæ-
 cus uiam munierit, non qua po-
 pulus

ORATIO PRO MILONE.

pulus uteretur, sed ubi impune
 sui posterī latrocinarētur. Itaq; in
 eadem ista Appia uia cū ornatissi-
 mum equitē Romanū Marcū Pa-
 pirium occidisset, nō fuit illud fa-
 cinus puniendū. Homo enim no-
 bilis in suis monumētis equitem
 Ro. occiderat. Nunc eiusdē Ap-
 piæ nomē quantas tragœdias ex-
 citat; quæ cruētata antea cæde ho-
 nesti atq; innocentis uiri silebat,
 eadē nūc crebro usurpat, posteaq;
 latronis & parricide sanguine im-
 buta est. Sed quid ego illa cōme-
 moro; cōprehensus est in tēplo
 Castoris seruus Pub. Clodij, quē
 ille ad Cn. Pompeium interficien-
 dum collocarat. Extorta est confi-
 tenti sica de manibus, caruit foro
 postea Pōpeius, caruit senatu, ca-

ruit publico, ianua se ac parietibus, non iure legū iudiciorumq; texit. Nūquæ rogatio lata: numquæ noua questio decreta est: atq; si res, si uir, si tempus ullū dignū fuit. Certe hæc in illa causa summa omnia fuerūt, insidiator erat in foro collocatus atq; in uestibulo ipso Senatus, ei uiro autē mors parabatur, cuius in uita nitebat salus ciuitatis, eo porro Reip. tempore, quo si unus ille occidisset, non hæc solum ciuitas, sed gentes oēs concidissent, nisi forte, quia perfecta res est nō fuit punienda: perinde quasi exitus rerum, non hominum consilia legibus uindicentur. Minus dolendum fuit re non perfecta, sed puniendū certe nihilo minus. Quotiens ipse Iudices

ORATIO PRO MILONE.

ces ex P. Clodij telis, & cruentis
eius manibus effugi? Ex quibus
si me non mea uel Reip. fortuna
seruasset, quis tandem de interitu
meo quæstionē tulisset? Sed stul-
ti sumus, qui Drusum, qui Afri-
canum, Pompeiū, nosmetipsos,
cū P. Clodio cōferre audeamus.
Tolerabilia fuerūt illa, P. Clodij
mortem equo animo nemo ferre
pōt: luget Senatus, mœret eque-
ster ordo, tota ciuitas confecta se-
nio est, squallent municipia, affli-
ctantur coloniæ, agri deniq; ipsi
tam beneficum, tam salutarē, tam
mansuetū ciuem desyderant. Nō
fuit ea causa Iudices, non fuit, cur
sibi censeret Pompeius quæstio-
nem ferendā: sed homo sapiēs, &
alta quadā mente præditus, mul-

M. T. CICERONIS

ta uidit, fuisse sibi illū inimicū, familiarē Milonem, in communi omnium læticia, si etiā ipse gauderet, timuit ne uideretur infirmior fides reconciliatæ gratiæ. Multa etiā alia uidit, sed illud maxime, quāuis atrociter ipse tulisset, uos tamen fortiter iudicaturos, itaq; delegit e florentissimis ordinibus ipsa lumina, neq; uero quod non nulli dicitant, secreuit in iudiciis legendis amicos meos, neq; em hoc cogitauit uir iustissimus, neq; in bonis uiris legēdis id assequi potuisset, etiā si cupisset: non enim mea gratia familiaritatibus continetur, quæ late patere non possunt, propterea q; consuetudines uictus non possunt esse cum multis. Sed si quid possumus ex

ORATIO PRO MILONE.

eo possumus, q̄ Resp. nos cōiunxit cū multis. Ex quibus ille cum optimos uiros legeret, idq̄ maxime ad fidē suam pertinere arbitra retur, non potuit legere non studiosos mei. Quod uero te L. Domiti huic quæstioni præesse maxime uoluit, nihil quæsiuit aliud nisi iusticiā, grauitatē, humanitatē, fidē: tulit ut cōsularem necesse esset, credo q̄ principum munus esse ducebat, resistere & leuitati multitudinis, & perditorū temeritati. Ex consularibus te creauit potissimum, dederas enim q̄ contemneres populares insanias iam ab adulescentia documenta maxima. Quāobrem iudices ut aliquādo ad causam crimēq̄ ueniamus, si neq̄ omnis confessio facti est in

M. T. CICERONIS

usitata, neq; de causa quicquã no-
stra aliter ac nos uellemus, a Sena-
tu iudicatum est, et lator ipse legis
cum esset cõtrouersia nulla facti,
iuris tamen disceptationẽ esse uo-
luit, & electi Iudices, & isti prepo-
situs quæstioni, qui hæc iuste sa-
pienterq; disceptet. Reliquum est
Iudices ut nihil iam aliud querere
debeat, nisi uter utri insidias fe-
cerit. Quod q̄ facilius argumẽtis
p̄spicere possitis, rem gestã uobis
dum breuiter expono, queso dili-
genter attendite. P. Clodius cū
statuisset omni scelere in prætura
uexare Remp. uideretq; ita tracta
esse comitia anno superiore, ut non
multos menses præturam gerere
posset, qui non honoris gradum
spectaret, ut cæteri, sed & L. Pau-
lum

ORATIO PRO MILONE

lum collegam effugere uellet, singulari uirtute ciuē, & annum integrum ad dilacerandam Rempu. quæreret, subito reliquit annum suum: seq̃ in annum proximum transtulit: non religione aliqua, sed ut haberet, q̃d ipse dicebat: ad præturam gerendam, hoc est, ad euertēdam Rempub. plenum annum, atq̃ integrum. Occurrebat mancam ac debilem præturā suā futuram cōsule Milone: eum porro summo cōsensu populi Romani consulem fieri uidebat: contulit se ad eius competitores: sed ita totam ut petitionē ipse solus etiā inuitis illis gubernaret: tota ut comitia suis, ut dictabat, humeris sustineret. conuocabat tribus: se interponebat: coloniam nouam,

delectū perditissimorū scribebat
 ciuiū: quāto ille plura miscebat, tā
 to hic magis indies cōualefcebat.
 Vbi uidet hō ad omne facinus pa
 ratissimus fortissimū uirū, inimi
 cissimū suū, certissimū consulē: id
 q̄ intellexit nō solū sermonibus,
 sed etiā suffragiis populi Ro. sæpe
 esse declaratū palā agere cœpit: &
 aperte dicere occidendū Milonē,
 feruos agrestes & barbaros, q̄bus
 syluas publicas depopulatus erat
 Hetruriamq̄ uexarat, ex Apen
 nino deduxerat, quos uidebatis;
 res erat minime obscura. Etenim
 palā dicitabat, consulatū Miloni
 eripi nō posse, uitā posse. signifi
 cavit hoc sæpe in Senatu: dixit in
 cōcione. Quin etiā Fauonio fortis
 simo uiro quærēti ex eo, qua spe
 fureret

ORATIO PRO MILONE

furere Milone uiuo: respōdit tri-
duo illū, ad summū quatrīduo pe-
riturū: quā uocē eius ad hunc M.
Catonē statim Fauonius detulit.
Interim cū sciret Clodi⁹ (neq̄. n.
erat difficile scire) iter solēne, legi-
timū, necessariū, añ diē. XIII. Ca.
Februarij Miloni esse Lanuuiū
ad flaminē prodendū: q̄ erat Di-
ctator Lanuuij Milo: Roma subi-
to ipse profectus pridie est, ut an-
te suū fundū, q̄d re intellectū est,
Miloni insidias collocaret. Atq̄
ita p̄fectus est, ut concionem tur-
bulentā, in qua eius furor deside-
ratus est, quæ illo ipso die habita
est, relinqueret, quā nisi obire faci-
noris locū, tēpusq̄ uoluisset, nūq̄
reliquisset. Milo autē, cū in Sena-
tu fuisset eo die quoad Senatus di-

M. T. CICERONIS

missus est, domum uenit, calceos
 & uestimēta mutauit: paulisp̄ dū
 se uxor (ut fit) cōparat, cōmorat^o
 est: deinde profectus est id t̄pis, cū
 iā Clodius (si quidē eo die Romā
 uēturus erat) redire potuisset: ob
 uia fit ei Clodi^o expedit^o in eq̄, nul
 la rheda, nullis impedimētis, nul
 lis Græcis comitibus (ut solebat)
 sine uxore, quod nūquam fere, cū
 hic insidiator, qui iter illud ad cæ
 dem faciendā apparasset, cū uxo
 re ueheretur in rheda penulatus,
 uulgicq; magno ip̄edimēto, ac mu
 liebri & delicato ancillarum pue
 rorumq; comitatu, fit obuia Clo
 dio ante fundū eius, hora fere un
 decima, aut non multo secus, sta
 tim complures cum telis in hunc
 faciūt de loco superiore impetū:
 aduersi

ORATIO PRO MILONE

aduersi rhedarium occidunt. Cū
 autem hic de rheda reiecta penula
 desilisset: seq̄ acri animo defen-
 deret: illi, qui erant cum Clodio,
 gladijs eductis partim recurrere
 ad rhedā: ut a tergo Milonē ado-
 rarentur: partim quod hunc iam
 interfectum putarent, cedere in-
 cipiunt eius seruos, qui post erāt,
 ex quibus, qui animo fideli in do-
 minum erāt, & præsentes fuerūt:
 partim occisi sunt: partim, cū ad
 rhedā pugnari uiderent, & domi-
 no succurrere prohiberentur: Mi-
 lonem occisum esse, etiam ex ipso
 Clodio audirent, fecerunt id ser-
 ui Milonis (dicam enim non deri-
 uandi criminis caussa, sed ut factū
 est) neq̄ imperante, neque scien-
 te, neque præsente domino, quod

M. T. CICERONIS

suos quisque seruos in tali re face-
re uoluisset. Hæc sicut exposui ita
gesta sunt Iudices, insidiator supe-
ratus, ui uicta uis, uel potius op-
pressa uirtute audacia est: nihil di-
co quid resp. cōsecuta sit, nihil qd
uos, nihil quid omnes boni, nihil
sane id profit Miloni, qui hoc fa-
cto natus est, ut ne se quidē seruare
potuerit, quin una Remp. uosq̃
seruaret. Si id iure nō posset, nihil
habeo qd defendam: sin hoc & ra-
tio doctis, & necessitas barbaris,
& mos gētibus, & feris natura ip-
sa p̃scripsit, ut omnē semper uim
quacūq̃ ope possent, a corpore,
a capite, a uita sua propullarent,
non potestis hoc facinus impro-
bum iudicare, quin simul iudicet-
is omnibus, qui in latrones inci-
derint,

ORATIO PRO MILONE

derint, aut illorū telis, aut uestris
 sententijs esse pereūdum. Quod
 si ita putasset, certe optabilius Mi
 loni fuit dare iugulum P. Clodio
 nō semel ab illo, neq; tum primū
 petiit, q̄ iugulari a uobis, quia
 se illi non iugulādum tradidisset:
 si hoc nemo uestrum ita sentit, il
 lud in iudicium uenit, nō occisus
 ne sit, quod fatemur, sed iure, an
 iniuria, quod multis antea in caus
 sis iam quæsitū est. Insidias factas
 esse constat, & id est, quod Sena
 tus contra Remp. factum iudica
 uit: ab utro factæ sint incertum est.
 De hoc igitur latum est, ut quære
 retur. Ita & senatus rem, non ho
 minem notauit, & Pompeius de
 iure, nō de facto quæstionē tulit.
 Nunqd igit aliud i iudiciū uenit:

M. T. CICERONIS 20

nisi uter utri insidias fecerit: pro-
fecto nihil, si hic illi: ut ne sit im-
pune, si ille huic: tum nos scelere
soluamur. Quo nam igitur pacto
probari potest, insidias Miloni fe-
cisse Clodium: satis est quidem in
illa tam audaci, tam nefaria bellua
docere, magnam ei causam, ma-
gnam spem in Milōis morte pro-
positam, magnas utilitates fuisse.
Itaque illud Cassianū, cui bono fue-
rit: in his personis ualeat: & si bo-
ni nullo emolumento impellun-
tur in fraudem: improbi sæpe par-
uo. Atqui Milone interfecto Clo-
dius hoc assequeretur: nō modo
ut prætor esset, nō eo cōsule, quo
sceleris nihil facere posset: sed etiā
his consulibus prætor esset: qui-
bus si non adiuuātibus, at conui-
uentibus

ORATIO PRO MILONE.

uētib⁹ certe sperasset se posse rēp.
eludere i illis suis cogitatis furori-
bus, cuius illi conatus, ut ille raci-
ocinabatur, nec si cuperent, repri-
mere possent, cum tantum bene-
ficium ei se debere arbitrarentur:
& si uellēt, fortasse uix possent frā-
gere hominis sceleratissimi corro-
boratam iā uetustate audaciā. An
uero Iudices uos soli ignoratis?
uos hospites in hac urbe uersami-
ni? uestræ peregrinantur aures?
neq; in hoc p̄uagato ciuitatis ser-
mone uersantur? quas ille leges (si
leges nominandę sunt, ac non fa-
ces urbis, ac pesteres ip.) fuerit im-
positurus nobis omnibus, atq;
inustus? Exhibe q̄so Sexte Clo-
di, exhibe librarium illud legum
uestrarum, quod te aiūt eripuisse

e domo, & e medijs armis, turba
 q̄ nocturna, tanq̄ Palladium su-
 stulisse ut præclarū inde munus,
 ac instrumentū tribunatus ad ali-
 quē, si nactus esses, q̄ tuo arbitrio
 tribunatū gereret, deferre posses:
 & aspexit me quidē illis oculis, q̄
 bus tū solebat, cum omnia oibus
 minabatur: mouet me quippe lu-
 mē curiæ. Quid? tu me iratū Sex-
 te putas tibi? cuius tu inimicissi-
 multo crudelius etiā punitus es,
 q̄ erat humanitatis meæ postula-
 re? Tu P. Clodij cruentū cadauer
 eiecisti domo, tu ī publicū eiecisti
 tu spoliatū imaginib. exequijs, p̄o-
 pa, laudatiōe, infelicis lignis semi-
 ustulatū nocturnis canib' dilani-
 andū reliquisti: quā rē & si necessa-
 rio fecisti: tñ, qm̄ in meo inimico
 crude

ORATIO PRO MILONE.

crudelitatem exprompsisti tuam,
laudare nō possum, irasci certenō
debeo. P. Clodij præturā nō sine
maximo rerū nouarum metu pro
poni solitam esse uidebatis, nisi ef
set is consul, qui eam auderet, pos
setq; confringere: eum Milonem
esse cum sentiret uniuersus popu
lus Romanus: quis dubitaret suf
fragio suo se metu, periculo Rem
publicā liberare? At non P. Clo
dio usitatis iā rebus obnitendum
est Miloni ut tueatur dignitatē su
am: singularisilla huic uni conces
sa gloria, quæ quotidie augeba
tur frangendis furoribus Clodia
nis, iam morte Clodij cecidit: uos
adepti estis, ne quē ciuē metuere
tis, hic exercitationē uirtutis, suf
fragationem consulatus, fontem

M. T. CICERONIS

nem gloriæ suæ perdidit. Itaque
 Milonis cōsulatus, qui uiuo Clo-
 dio labefactari non poterat, mor-
 tuo deniq; tentari cœptus est. nō
 modo igit̃ nihil prodest, sed ob-
 est etiam P. Clodij mors Miloni.
 At ualuit odium: fecit iratus, fecit
 inimicus: fuit ultor iniuriæ: puni-
 tor doloris sui. quid si hæc nō di-
 co maiora fuerunt in Clodio, q̃
 in Milone: sed i illo maxima, nul-
 la in hoc: quid uultis amplius: qd
 enim odisset Clodium Milo, sege-
 tem, ac materiam suæ gloriæ, pre-
 ter hoc ciuile odium, quo omnes
 improbos odimus: Ille erat ut odif-
 set primū defensorē salutis meæ:
 deinde uexatorem furoris, domi-
 torem armorum suorum, postre-
 mo etiam accusatorem suū: reus
 enim

ORATIO PRO MILONE

enī Milōis lege Plotia fuit Clodius, quoad uixit. Quo tandē animo hoc tyrānum tulisse creditis? quantum odium illius? & in homine iniusto quē etiam iustū? Reliquum est, ut iā illum natura ipsius, cōsuetudo que defendat: hūc autem hęc eadem coarguant: nihil per uim unquā Clodius: omnia per uim Milo. quid ergo iudices, cum mcerentibus uobis urbes cessi Milo attulit: nū seruos, nū arma, nū uim intētavit: quē fuisset igitur caussa restituendi mei, nisi fuisset iniusta eijciēdi? diem mihi credo dixerat, multam irrogarat: actionem perduellionis intenderat. & mihi lud. in caussa aut uestra mala, aut mea nec præclarissima etiā iudicium timendum fuit. Seruo

M. T. CICERONIS

rum & egentium ciuium, & facinorosorum armis meos ciues meis consilijs periculisq; seruatos pro me obijci nolui. Vidi enim uidi hunc ipsum Q. Hortensium lumē & ornamentum reip. pene interfici seruorum manu, cum mihi adesset, qua in turba C. Vibienus senator uir optimus, cū hoc cum esset una, ita est multatus, ut uitam amiserit. Itaq; quādo illius postea sica illa, quam a Catilina acceperat, conquieuit, hæc intenta nobis est, huic ego uos obijci, pro me non sum passus, hæc insidiata Pompeio est, hæc istam Appiam uiam monumentum sui nominis nece Papirij cruentauit: hæc eadē longo interuallo conuersa rursus est in me. Nuper quidem ut scitis
me

ORATIO PRO MILONE

me ad regiam pene confecit, quid
simile Milonis? cuius uis omnis
hæc semper fuit, ne P. Clodius,
cū in iudicium detrahi nō posset,
ui oppressam ciuitatē teneret, quē
si interficere uoluisset, quātæ quo-
ties occasiones, quam præclaræ
fuerunt: potuit ne, cum domum
ac deos penates suos illo oppu-
gnante defenderet, iure se ulcisci?
potuit ne ciue egregio & uiro for-
tissimo P. Sextio collega suo uul-
nerato? potuit ne Fabricio uiro
optimo, cum de reditu meo legē
ferret pulso, crudelissima in foro
cæde facta? potuit ne Lucij Ce-
cilij iustissimi fortissimique præto-
ris oppugnata domo? potuit ne
illo die, cum est lata lex de me, cū
totius Italiæ concursus, quem

M. T. CICERONIS

mea salus cōcitarat: facti illius glo-
 riã libēs agnouisset, ut etiam si id
 Milo fecisset, cuncta ciuitas eam
 laudem pro sua uendicaret. Atq̃
 erat id tēporis, clarissimus & for-
 tissimus consul inimicus Clodio
 P. Lentulus, ultor sceleris illius,
 ppugnator senatus, defensor ue-
 stræ uolūtatis, patronus illius pū-
 blici consensus, restitutor salutis
 meæ, septem prætores, octo tri-
 bunipl. illius aduersarij, defensor
 res mei: Cn. Pompeius author &
 dux mei reditus, illius hostis: cui-
 us sententiam senatus omnis de
 salute mea grauissimã & ornatissi-
 mam secutus est, qui populū Ro.
 cohortatus est: qui cum de me de-
 cretum Capuæ fecisset, ipse cun-
 ctæ Italiæ cupienti, & eius fidem
 imploranti

ORATIO PRO MILONE,

imploranti signū dedit, ut ad me
 restituendum Romam concurre-
 rent, omnia tum deniq; in illum
 odia ciuium ardebant desyderio
 mei, quem si tum interemisset nō
 de ipunitate eius, sed de præmijs
 cogitaretur, tamen se Milo conti-
 nuit, & P. Clodium ad iudicium
 bis, ad uim nunquam uocauit, qd
 priuato Milone & reo ad populū
 accusante P. Clodio, cum in Cn.
 Pom. pro Milone dicētem impe-
 tus factus est, quæ tum non mo-
 do occasio, sed etiā causa illius op-
 primendi fuit. Nuper uero cum
 M. Antonius summam spem sa-
 lutis bonis omnib⁹ attulisset, gra-
 uissimamq; adolescens nobilissi-
 mus Reip. partem fortissime su-
 scepisset, atq; illam belluam iudi-

M. T. CICERONIS

cij laqueos declinantem iam irretitam teneret, qui locus, quod tēpus illud dñi immortales fuit, cū se ille fugiens in scalarum tenebris abdidisset, magnum Miloni fuit cōficere illā pestē nulla sua iuidia M. uero Antonij maxima gloria. Quid Comitjs in cāpo quoties potestas fuit, cū ille ui in septa irruisset, gladios distringendos, lapides iaciēdos curauisset, deinde subito uultu Milonis perterritus fugeret ad Tyberim, uos & oēs boni uota faceretis, ut Miloni uti sua uirtute liberet, quē igit cū omnium gratia noluit, hūc uoluit cū aliquorū querela: quē iure, quē loco, quē tēpore, quē impune non est ausus, hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis

ORATIO PRO MILONE.

tis nō dubitauit occidere? præfer
tim iudices cum honoris amplissi
mi contētio, & dies comitorū su
besset, quo quidem tempore (scio
enim quā timida sit ambitio, quā
taq; & quā sollicita cupiditas con
sulatus) omnia non modo quæ re
prehendi palam, sed etiam quæ
obscure cogitari possunt time
mus, rumorem, fabulam fictam,
falsam perhorrescimus, ora om
nium atq; oculos intuemur. Ni
hil em̄ est tā molle, tam tenerum,
tam aut fragile aut flexibile, quam
uoluntas erga nos, sensusq; ciui
uuium, qui non modo improbi
tati irascuntur candidatorum, sed
etiā in recte factis sæpe fastidiunt.
Hūc igitur diem campi speratum

atq; exoptatum sibi proponens
 Milo cruentis manibus scelus &
 facinus præ se ferens & confitens
 ad illa augusta centuriarum auspi-
 cia ueniebat, quam hoc non credi-
 bile in hoc? quã idem in Clodio
 non dubitandum, quise, interfe-
 cto Milone regnaturum putaret?
 Quid quod caput audaciæ est iu-
 dices, quis ignorat maximam ille
 cebram esse peccandi impunita-
 tis spem. In utro igitur hæc fuit?
 in Milone? qui etiam nunc reus
 est facti aut præclari, aut certe ne-
 cessarij, an in Clodio? qui ita iu-
 dicia pœnãq; contemplerat, ut eũ
 nihil delectaret, quod aut per na-
 turam fas esset, aut per leges lice-
 ret. Sed quid ego argumentor?
 Quid plura disputo? te Qu. Peti-
 liap/

ORATIO PRO MILONE.

Si appello optimum & fortissimū
 ciuē te M. Cato testor quos mihi
 diuina quædā fors dedit iudices,
 uos ex M. Fauonio audistis Clo-
 dium sibi dixisse, & audistis uiuo
 Clodio, periturum Milonem tri-
 duo, post diem tertium gesta res
 est quam dixerat, cum ille non du-
 bitaret aperire qd cogitaret, uos
 potestis dubitare qd fecerit? Quē
 admodum igitur cum dies non fe-
 fellit? dixit equidem modo, dicta-
 toris Lanuuij statuta sacrificia nos
 se, negocij nihil erat, uidit necesse
 esse Miloni proficisci Lanuuium
 illo ipso quo est profectus die. Ita
 q̄ anteuertit, at quo die? quo ut
 ante dixi, insanissima concio ab ip-
 sius mercenario tribunopleb. est
 concitata, quem diem ille, quam

cōcionem, quos clamores nisi ad
cogitatum facinus appropere
nunquam reliquisset. Ergo illi ne
causa quidem itineris, etiam causa
manendi, Miloni manendi nulla
facultas, exeundi nō causa solum,
sed etiam necessitas fuit. Quid si
ut ille sciuit Milonem fore eo die
in uia, sic Clodium Milo ne suspi
cari quidem potuit? Primum que
rō qui scire potuerit? qđ uos idē
in Clodio quærere non potestis.
Ut enim neminem alium nisi Ti
tum Patinam familiarissimum su
um rogasset, scire potuit illo ipso
die Lanuuij a dictatore Milone
prodi flaminē necesse esse, sed erāt
permulti alij ex quibus id facilli
me sciri posset, omnes scilicet La
nuuini. Milo de Clodij reditu in
de

ORATIO PRO MILONE

dequæsiuit: quæsierit sane. Vide
 te quid uobis largiar seruum etiã,
 ut Arrius meus amicus dixit, cor
 ruperit. Legite testimonia testiũ
 uestrorum, dixit C. Cassinius co
 gnomẽto Scola Interamnis fami
 liaris meus, & idẽ comes Clodij,
 cuius iam pridẽ testimonio Clo
 dius eadem hora Interamne fue
 rat & Romæ, P. Clodium illo die
 in Albano mäsarum fuisse, sed su
 bito ei fuisse nunciatum Cyrum
 architectum esse mortuum. Itaq;
 Romam repente constituisse pro
 ficisci, dixit hoc comes item Pu.
 Clodij C. Clodius. Videte iudi
 ces quãtæ res his testimonijs sunt
 confectæ, primum certe liberatur
 Milo, non eo consilio profectum
 esse, ut insidiaretur in uia Clodio,

quippe si ille ei obuius futurus omnino non erat. Deinde (non enim uideo cur non meum agam negotium) scitis iudices fuisse, qui in hac rogatione suadenda dicerent Milonis manu caedem esse factam consilio uero maioris alicuius, uidelicet me latronem ac sicarium abiecti homines & perditii describebant. Iacent suis testibus. hi qui Clodium negant eo die Romam, nisi de Cyro auditum fuisset, redituros fuisse. Respiraui, liberatus sum, non uereor ne quod ne suspicari quidem potuerim uidear id cogitasse. Nunc persequar caetera: nam occurrit illud, ne Clodius quidem de insidijs cogitauit quoniam fuit in Albano mansurus, siquidem exiit ad caedem e uilla non fuisset. Video, non illud quod dicitur

ORATIO PRO MILONE.

dicatur Cyri mortē nunciāsse nō
 id nunciāsse, sed Milonem appro-
 pinquare, nam quid de Cyro nū-
 ciaret quem Clodius Roma pro-
 ficiscens reliquerat morientē, una
 sui, testamentum simul obsigna-
 ui cum Clodio, testamentum au-
 tem palam fecerat, & illum hære-
 dem & me scripserat, quem pri-
 die hora tertia animam efflantem
 reliquisset, eum mortuum postri-
 die hora decima ei nunciabatur.
 Age, sit ita factum quæ causa? cur
 Romam properaret? cur in noctē
 se conijceret? quid afferebat festi-
 natio? quod hæres erat: primum erat
 nihil, cur pperato opus esset, de-
 inde si quid esset, quid tandē erat
 quod ea nocte consequi posset?
 amitteret autem si postridie mane

Romam uenisset. Atque ut illi nocturnus ad urbem aduentus uita
dus potius quam expetendus fuit,
sic Miloni cum insidiator esset, si
illum ad urbem nocte accessurum
sciebat, subsistendum atque expectan-
dum fuit, nemo ei neganti non cre-
didisset, quem omnes saluum etiam
confitentem uolunt, sustinisset hoc
crimen primum ipse ille latronum
occultator & receptor locus,
ubi neque muta solitudo indicasset
neque caeca nox ostendisset Milonem:
deinde ubi multi ab illo uiolati,
spoliati bonis, expulsi, multi haec
etiam timentes in suspicionem ca-
derent, totaque denique rea citaretur
Hetruria, atque illo die certe Aricia
rediens diuertit Clodius ad Alba-
num, quod nisi sciret illum Milo Ari-
ciae

ORATIO PRO MILONE.

ciæ fuisse, suspicari tamen debuit
 eum etiã si Romam illo die rener-
 ti uellet, ad uillam suam, quæ uia
 tangeret diuersurum, cur neq; an-
 te occurrit ne i uilla resideret, nec
 eo in loco subsedit, quo ille noctu
 uenturus esset. Video adhuc con-
 stare omnia iudices, Miloni etiã
 utile fuisse Clodium uiuere, illi ad
 ea quæ concupierat optatissimũ
 interitum Milonis fuisse, odium
 illius in hunc acerbissimum, in il-
 lum huius nullum, consuetudi-
 nem illius perpetuam in ui inferẽ
 da, huius tantum in repellenda,
 mortem ab illo denuntiatam pa-
 lam Miloni & prædicatam, nihil
 unquam auditum ex Milone, p-
 fectionis huius diem illi notum,
 reditum illius huic ignotũ fuisse,

huius iter necessarium, illius etiã
 potius alienum: hunc præ se tulisse
 se illo die Roma exiturum, illũ eo
 die se dissimulasse rediturũ: hunc
 nullius rei mutasse consilium, illũ
 causam mutandi consilij finxisse:
 huic si insidiaretur nocte ppe ur-
 bem expectãdum, illi etiam si hũc
 non timeret, tamẽ accessum ad ur-
 bem nocturnum fuisse metuendũ.
 Videamus nũc id quod ca-
 put est. Locus ad insidias ille ipse
 ubi congressi sunt, utri tãdem fue-
 rit aptior. Id uero iudices etiã du-
 bitandum & diutius cogitandũ
 est. Ante fundum Clodij, quo in
 fundo propter insanas illas sub-
 structiones facile hominum mil-
 le uersaretur ualentium aduersa-
 ri. Atqui excelso loco superior
 rem

ORATIO PRO MILONE

rem se fore putabat Milo, & ob
 eam rem eum locum ad pugnam
 potissimum delegerat, an in eo lo
 co potius expectandum ab eo, qui
 ipsius loci spe facere impetum cogi
 tarat. Res loquitur iudices ipsa, que
 semp̄ ualet plurimum, si hæc nō ge
 sta audiretis, sed picta uideretis in
 appareret, uter esset insidiator, u
 ter nihil cogitaret mali, cum alter ue
 heretur in rheda penulatus, una
 sederet uxor, quid horum nō im
 peditissimum? uestitus? an uehi
 culum? an comes? quid minus pro
 ptum ad pugnam? cum penula irreti
 tus, rheda impeditus uxore pene
 cōstrictus esset. Videte nunc illum
 primum egredientem e uilla subito,
 cur uesperis? quid necesse est tarde?
 quod conuenit? præsertim id temporis diuer

ORATIO PRO MILONE

tit in uillā Pōpen, Pompeium ut
 uideret: sciebat in Alliensī esse uil-
 la procul inde, uillam ut perspice-
 ret: millies in ea fuerat. Quid er-
 go erat moræ & tergiuersionis?
 dum hic ueniret, locum relinque-
 re noluit. Age nunc iter expediti
 latronis, cum Milonis impedimē-
 tis cōparate, semper ille antea cū
 uxore, tum sine ea, nunquam nō
 in rheda, tum in equo. Comites
 græculi quocūq; ibat etiam cum
 in castra Hetrusca properabat, tū
 nugarum in comitatū nihil. Mi-
 lo qui nūquam, tum casu pueros
 symphonicos uxoris ducebat,
 & ancillarum greges, ille qui sem-
 per secum scorta, semper exoletos
 semper lupas ducebat, tum nemi-
 nem, nisi ut uirum a uiro lectum

ORATIO PRO MILONE

esse diceres, cur igitur uictus est?
 quia non semper uiator a latrone
 nonnūquam etiam latro a uiato-
 re occiditur, quia quāquam para-
 tus in imparatos Clodius, tamen
 mulier inciderat in uiros, ne ue-
 ro sicerat unquā non paratus. Mi-
 lo cōtra illum, ut non satis fere es-
 set paratus, semper ille, & quantū
 interesset Pub. Clodij se perire &
 quanto illi odio esset, & quātum
 ille auderet, cogitabat. Quam ob-
 rem uitā suā quā maximis p̄m̄is
 propositam & p̄c̄n̄æ addiciā scie-
 bat, nunquam in periculum sine
 p̄s̄idio & sine custodia proue-
 hebatur. Adde casus, adde incer-
 tos exitus pugnarum, Martem
 q̄ communem, qui saepe spolian-
 tem iam & exultantem euertit,

& percussit ab abiecto. Adde insci-
 tiam præsi, poti, oscitantis ducis?
 qui cum a tergo hostem interclu-
 sum reliquisset, nihil de eius extre-
 mis comitibus cogitavit. In quos
 incensos ira uitamq; domini de-
 sperantes cum incidisset, hæsit in
 his pœnis, quas ab eo serui fide-
 les pro domini uita expetiuerunt.
 Cur igitur eos manumilit? metue-
 bat scilicet ne indicaretur, ne dolo-
 rem perferre non possent, ne tor-
 mentis cogerentur occisum esse a
 seruis Milonis in Appia uia P. Clo-
 dium cōfiteri? Quid opus est tor-
 tore? Quid quæris? occiderit ne?
 occidit, iure an iniuria? nihil ad tor-
 torem: facti enim in eculeo quæ-
 stio est, iuris in iudicio: quod igi-
 tur in causa quærendum est, id a-
 gamus

ORATIO PRO MILONE,

gamus, hoc quod tormentis inuenire uis id fatemur, manu uero cur miserit: si quid quaeris potius quam cur parum amplis affecerit praemijs, nescis inimici factum reprehendere, dixit enim hic idem, qui omnia semper constanter & fortiter M. Cato, dixitque in turbulenta concione, quae tamen huius auctoritate placata est, non libertate solum, sed etiam omnibus praemijs dignissimos fuisse, qui domini caput defendissent, quod enim praemium satis magnum est tam beneuolis, tam bonis, tam fidelibus seruis, propter quos uiuit, & si id quidem non tanti est, quam quod propter eosdem non sanguine & uulneribus suis crudelissimi inimici mentem oculosque faciauit, quos nisi

manumississet, tormētis etiam de-
 dendi fuerunt, conseruatores do-
 mini, ultores sceleris, defensores
 necis: hic uero nihil habet in his
 malis, quod minus moleste ferat,
 quam etiam si quid ipsi accidat, et
 se tamen illis meritum præmium
 persolutum. Sed quæstiones ur-
 gent Milonem, quæ sunt habitæ
 nūc in atrio libertatis, quibus nā
 de seruis: rogas. De P. Clodij, quæ
 eos postulauit: Appius: quis pro-
 duxit: Appius. Vnde: ab Appio
 dij boni quid potest agi seuerius:
 de seruis nulla quæstio est in do-
 minum, nisi de incestu ut fuit in
 Clodium, proxime deos accessit
 Clodius, propius quam tum cū
 ad ipsos penetrarat, cuius de mor-
 te tanquā de ceremonijs uiolatis
 quæritur

ORATIO PRO MILONE

quæritur, sed tamen maiores no-
 stri in dominum de seruo quæri
 noluerunt. Non quia non posset
 uerum inueniri, sed quia uidebāt
 indignum esse & domini morte
 ipsa tristius. In reum de seruo ac-
 cusatoris cū quæritur, uerum in-
 ueniri potest. Age uero quæ erat
 aut qualis quæstio, heus ubi Ru-
 scio? ubi Casca? Clodius insidias
 fecit Miloni? fecit, certa crux, nul-
 las fecit, sperata libertas, quid hac
 quæstione certius? subito arrepti
 in quæstionem tamen separātur
 a cæteris, & in arcas conijciuntur
 ne quis cum his colloqui possit,
 hi cētum dies penes accusatorem
 cum fuissent, ab eo ipso accusato-
 re producti sunt. Quid hac quæ-
 stione dici potest integrius? quid

incorruptius: Quod si satis non
dum cernitis, cum res ipsa tot &
tam claris argumentis significq; lu
ceat, pura mente atq; integra Mi
lonem nullo scelere imbutū, nul
lo metu perterritum, nulla consci
entia exanimatum Romam reuer
tisse, recordamini p̄ deos immor
tales quæ fuerit celeritas reditus
eius, qui ingressus in forum ardē
te curia: quæ magnitudo animi:
qui uultus: quæ oratio: Necq; ue
ro se populo solum, sed etiam se
natui tradidit, necq; senatui mo
do, sed etiam publicis præsidij &
armis, necq; his tantū, uerum etiā
ei potestati cui senatus totā Rēp.
omnem Italiæ pubem, cuncta po
puli Ro. arma commiserat, cui nū
quam se hic profecto tradidisset,
nisi

ORATIO PRO MILONE

nisi causæ suæ confideret, præsertim omnia audienti, magna metuenti, multa suspicâti, nonnulla credenti: magna uis est conscientiaë iudices, & magna in utramq; partem, ut neq; timeant qui nihil cõmiserint, & pœnam semper ante oculos uersari putent qui peccauerint. Neq; uero sine ratione certa causa Milonis semper a Senatu probata est. Videbant enim sapientissimi homines facti rationem, presentiam animi, defensionis constantiam. An uero obliti estis iudices recentis illo nuncio necis Clodianæ, non modo inimicorum Milonis sermones & opiniões, sed nonnullorum etiam imperitorum, q; negabant eum Romam esse rediturum? Siue enim illud animo i

rato ac percito fecisset, ut incensus
 odio trucidaret inimicum, arbitran-
 tur eum tanti mortem P.
 Clodij putasse, ut æquo animo
 patria careret, cum sanguine ini-
 mici expleisset odium suum, siue
 etiam illius morte patriam libera-
 re uoluisset, non dubitaturum for-
 tem uirum, quin cum suo pericu-
 lo salutem Reipublice attulisset, cede-
 ret æquo animo legibus, secum auf-
 ferret gloriam sempiternam, no-
 bis hæc fruenda relinqueret, quæ
 ipse seruasset. Multi etiam Catili-
 nam atque illa portenta loqueban-
 tur, erumpet, occupabit aliquem
 locum, bellum patriæ faciet. Mi-
 seros interdum ciues optime de Re-
 publice meritos, in quibus homines non
 mores preclarissimas obliuiscunt,
 sed

ORATIO PRO MILONE

sed etiã nefarias suspicantur. Ergo illa falsa fuerunt, quæ certe uera extitissent si Milo admisisset aliquid quod non posset honeste uereq; defendere. Quid quæ postea sūt in eum congeſta? quæ quamuis etiã mediocrium delictorũ conscientiam perculissent, ut sustinuit dij immortales, sustinuit? immo uero ut contempsit, ac pro nihilo putauit, quæ necq; maximo animo nocens, nec innocens nisi fortissimus uir negligere potuisset, scutorum, gladiatorum, frenorum sparorum, pilorumq; etiam multitudo deprehēdi posse indicabāt nullũ in urbe uicũ, nullũ angiportũ, esse dicebāt, in quo Miloni nõ esset cõducta dom⁹, arma in uillã Oriculanã deuecta Tyberi dom⁹

in cliuo capitulino scūtis referta,
 plena omnia malleolorum ad ur-
 bis incendia cōparatorum. Hæc
 non delata solum, sed pene credi-
 ta, nec ante repudiata sunt, quam
 quæsitæ. Laudabam equidem in-
 credibilem diligētiam Cn. Pom-
 pedii dicam ut sentio iudices, nimis
 multa audire coguntur, neq̄ ali-
 ter facere possunt n̄, quibus tota
 commissa est Resp. quin etiam au-
 diendus fuit Popa. Licinius, ne-
 scio quis de circo maximo seruos
 Milonis apud se ebrios factos, si-
 bi confessos esse de interficiendo
 Pompeio cōiurasse, deinde se po-
 stea gladio percussum esse ab uno
 de illis, ne indicaret, Pompeio in
 hortos nunciauit. Arcessor in pri-
 mis, de amicorum sententia rem
 defert̄

ORATIO PRO MILONE.

defert ad senatum, non poteram
 in illius, mei, patriæque custodis tā
 ta suspitione non metu exanima-
 ri. Sed mirabar tamen credi Popu-
 lorum confessionem seruorum
 audiri, uulnus in latere quod acu-
 punctum uideretur, pro ictu gla-
 diatoris putari. Verum etiam, ut
 intelligo, cauebat magis Pompe-
 ius quam timebat nō ea solū quæ
 timenda erant, sed omnia omni-
 no ne aliquid uos timeretis. Op-
 pugnata domus C. Cæsaris claris-
 simi & fortissimi uiri per multas
 noctis horas nūciabatur. Nemo
 audierat tam celebri loco, nemo
 senserat, tamen audiebatur. Non
 poteram, Cn. Pom. præstantissi-
 ma uirtute ciuem timidum suspi-
 cari, diligentiam tota Rep. susce-

pta nimiam nullã putabam. Frequentissimo senatu nuper in capitolio senator inuētus est, qui Milonem cum telo esse diceret. Nudauit se in sanctissimo tēplo quoniam uita talis & ciuis, & uiri fidē non faciebat, nisi eo tacente res ipsa loqueretur, omnia falsa atq; infidiose ficta comperta sunt. Cum tamen si metuitur etiam nunc Milo, non iam Clodianum crimen timeamus, sed tuas Cn. Pom. (te. n. iam appello ea uoce ut me audire possis) tuas inquam suspensiones p. horrere scimus. Si Milonē times, si hunc de tua uita nefarie aut nūc cogitare, aut molitum aliquando aliquid putas, si Italig delectus (ut nonnulli conquisitores tui dictitant) si hæc arma, si capitolinæ cohortes

ORATIO PRO MILONE,

hortes, si excubiæ, si uigiliæ, si delecta iuuentus, quæ tuum corpus domumq; custodit, contra Milonis impetum armata est, atq; illa omnia in hunc unum instituta, parata, intenta sunt. Magna in hoc certe uis & incredibilis animus & non unius uiri uires, atq; opes indicantur, siquidem in hunc unum & prestantissimus dux electus, & tota Respublica armata est. Sed quis non intelligit omnes tibi R. P. partes ægras & labantes, ut eas his armis sanares & confirmares esse commissas? quod si Miloni locus datus esset, probasset profecto tibi ipsi neminem unquam hominem homini chariorem fuisse quam te sibi, nullum se unquam periculum pro tua dignitate

fugisse, cum illa teterrima peste sæ-
pissime pro tua gloria contendis-
se, tribunatum suum ad salutem
meam, quæ tibi charissima fuisset
consilijs tuis gubernatum, se a te
postea defensum in periculo capi-
tis, adiutum in petitiõe præturæ,
duos se habere semp amicissimos
sperasse, te tuo beneficio, me suo,
quæ si non probaret, si tibi ita pe-
nitus insedisset ista suspicio, nul-
lo ut euelli modo posset, si deniq;
Italia a delectu, urbs ab armis sine
Milonis clade nunquam esset cõ-
quietura, ne iste haud dubitãs ces-
sisset patria is qui ita natus est, &
ita consuevit. Te Magne tamen
ante attestaretur, quod nunc etiã
facit: Vide quã sit uaria uitæ com-
mutabilisq; ratio, quam uaga uo-
lubilisq;

ORATIO PRO MILONE.

Iubilisq; fortuna: quantæ infidelitates in amicis, quam ad tempus aptæ simulationes, quantæ in periculis fugæ proximorum, quantæ timiditates. Erit erit illud pfecto tempus, & illucescet aliquando ille dies cum tu salutaribus, ut spero, rebus tuis, sed fortasse motu aliquo communium temporū immutatus (qui quam crebro accidat experti debemus scire) & amicissimi benevolentiam, & grauiissimi hominis fidem, & unius post homines natos fortissimi viri magnitudinē animi desideres. Quanquam quis hoc credat Cn. Pomp. iuris publici, moris maiorum, rei deniq; pu. peritissimum cum senatus ei commiserit, ut uideret, ne quid resp. detrimenti ca

peret, quo uno uersiculo satis armati semper consules fuerunt etiã nullis armis datis: hunc exercitu, hunc delecto dato iudicium expectaturũ fuisse in eius consilijs uindicandis, qui uel iudicia ipsa tolleret, satis iudicatum est a Pompeio, falso ista conferri in Milonem qui legem tulit, qua ut ego sentio Milonẽ absolui oporteret, ut omnes cõfiterentur, liceret. Quod uero in illo loco atq; in illis publicorum præsidiorum copijs circumfusus sedet, satis declarat, se nõ terrorem inferre uobis. Quid enim illo minusdignum quam cogere, ut uos eum condemnetis, in quẽ animaduertere ipse & more maiorum & suo iure posset: sed præsidio esse, ut intelligatis contra hesternam

ORATIO PRO MILONE

sternam concionem illam licere
 uobis quod sentiat libere iudi-
 care. Nec uero me iudices Clodia-
 num crimen mouet, nec tam sum-
 demens tamq̃ uestri sensus ig-
 narus atq̃ expers, ut nesciam
 quid de morte Clodij sentiat; &
 qua desi iam nollem ita diluere
 crimen ut dilui, tamen impune
 Miloni palam clamare atq̃ men-
 titi gloriose liceret. Occidi, non
 occidi, non Spurium Melium,
 qui annona leuāda iacturisque rei
 familiaris, quia nimis amplecti
 plebem putabatur in suspicionē
 incidit regni appetendi, non Ty-
 berium Gracchum, qui collegæ
 magistratum per seditionem ob-
 rogauit, quorum interfectores

M. T. CICERONIS

implerūt orbem terrarum nomi-
 nis sui gloria, sed eum (cauderet
 enim dicere cum patriam pericu-
 lo suo liberasset) cuius nefarium
 adulterium in puluinaribus san-
 ctissimis nobilissimæ foeminæ cō-
 prehenderunt, eum cuius suppli-
 cio senatus solennes religiones ex-
 piandas sæpe censuit, eum quem
 cum sorore germana nefariū stu-
 prum fecisse, L. Lucullus iuratus
 se quaestionibus habitis dixit cō-
 perisse, eum qui ciuem quem se-
 natus, quem populus, quem om-
 nes gentes urbis ac uitæ ciuiū cō-
 seruatorem iudicabāt, seruorum
 armis exterminauit, eum qui re-
 gna dedit, ademit, orbem terrarū
 quibus cū uoluit partitus est, eū
 qui pluribus cædibus in foro fa-
 ctis

ORATIO PRO MILONE

Etis singulari uirtute et gloria ciuē
 domū ui & armis cōpulit, eū, cui
 nihil unq̄ nefas fuit nec in facino
 re nec in libidine, eū qui gē nym
 pharū incēdit, ut memoriā publi
 cā recētionis tabulis publicis ipres
 sã extigueret, eū deniq̄ cui iã nulla
 lex erat, nullū ciuile ius, nulli pos
 sessionū termini, q̄ nō calumnia li
 tiū, nō iniustis iudicijs ac sacramē
 tis alios fundos, sed castris, exerci
 tu, signis inferēdis petebat, q̄ nō
 solū Hetruscos, eos. n. penitus cō
 tēpserat, sed hunc Cn. Pom. uirū
 fortis. atq̄ opt. ciuē iudicē nostrū
 pellere possessionibus armis castris
 q̄ conatus est, q̄ cū architectis &
 decēpedis uillas multorū hortos
 q̄ peragrabat, qui Ianiculo & Al
 pibus spē possessionū terminabat

H

M. T. CICERONIS

tuarum, qui cū ab equite Ro. splē
 didissimo & forti uiro Tito Paca
 nio nō impetrasset, ut insulā in la
 cu precio uenderet, repente in tri
 bus in eam insulā, materiā, calcē,
 cemēta, atq; arma cōuexit, domi
 no trans ripā inspectāte nō dubi
 tauit ædificiū extruere in alieno,
 q̄ huic T. Furfanio cui uiro Dij ī
 mortales (quid .n. de muliercula
 Sācia, qd de adolescēte Apronio
 dico, quorū utriq; mortē est mini
 tatus, nisi sibi hortorū possessiōe
 cessisset) sed ausus est Furfanio di
 cere, si sibi pecuniā quantā popo
 scerat nō dedisset, mortuū se in do
 mū eius esse illaturū, qua inuidia
 huic esset tali uiro conflagrandū.
 Qui Appiū fratrē hoīem mihi cō
 iunctū fidelissima gratia absentē
 depos

ORATIO PROMILONE.

de possessiōe fundi deiecit, q̄ pari
etē sic p̄ uestibulū sororis instituit
ducere, sic agere fundamēta, ut so
rorē nō modo uestibulo priuaret
sed omni aditu & lumine, quāq̄
hac quidē iā tolerabilia uidebant̄
et si equaliter in Rēp. in priuatos,
in longinquos, ī pp̄inuos, ī alie
nos in suos irruebat. Sed nescio q̄
modo usu obduruerat, & p̄callue
rat ciuitatis incredibilis patiētia.
Quo uero aderāt iā & impēdebāt
quonā modo ea aut depellere po
tuissetis, aut ferre imperium si ille
nactus esset. Omitto socios, exte
ras natiōes, reges, tetrarchas. Vo
ta. n. feceratis ut in eos se p̄otius
mitteret, q̄ ī uestras possessiōes,
uestra tecta, uestras pecunias, pe
cunias dico, a liberis mediusfidi
& a cōiugibus uestris nuncq̄ ille

M. T. CICERONIS

effrenatas suas libidines cohibuisset, fingi hæc putatis, quæ patet, quæ nota oïbus, quæ tenentur: feruorum exercitus illū in urbe conscripturū fuisse per quos totā Rēpublicam resque priuatas omnium possideret. Quãobrem si cruentū gladium tenens clamaret Ti. Annius, adeste queso atque audite ciues P. Clodium interfeci, eius furores, quos nullis iam legibus, nullis iudicijs frenare poteramus, hoc ferro & hac dextera a ceruicibus repuli, pro me unum effectum est, ut ius, æquitas, leges, libertas, pudor, pudicitia in ciuitate manerent. Eum uero timendum quoniam modo id factum ferret ciuitas: nunc enim quis est qui non probet, qui non laudet, qui non unum post hominum memoriam Ti. Annum plurimum Reipublicæ profuisse

ORATIO PRO MILONE

profuisse, maxima læticia P. Ro.
 cunctā Italiā, nationes oēs affe-
 cisse et dicat et sentiat: Nequeo ue-
 tera illa Po. Ro. quāta fuerint gau-
 dia, iudicare. Multas tñ iā summo
 rū imperatorū clarissimas uictori-
 as ætas nostra uidit, quarū nulla
 neq; tam diuturnā attulit lætitiā,
 neq; tantā. Mādate hæc memorię
 iudices, spero multa uosliberosq;
 uestros in Rep, bona esse uisuros
 In his singulis ita semper existima-
 bitis, uiuo P. Clodio nihil horū
 uos uisuros fore. In spē maximā
 et quēadmodū confido uerissimā
 adducti sumus, hūc ipsum annū,
 hoc summo uiro Cos. cōcussa ho-
 minū licētia, cupiditatib. fractis,
 legibus & iudicijs cōstitutis, salu-
 tarē ciuitati fore. Nunq; sigit̄ est tā

M. T. CICERONIS

demēs, q̄ hoc P. Clodio uiuo cō-
 tigere potuisse arbitret̄. Quid ea
 q̄ tenetis priuata atq; uestra domi-
 nāte hoīe furioso, q̄d ius p̄petuæ
 possessiōis habere potuissent̄. nō
 timeo iudices ne odio īimicitiarū
 mearū inflāmatuſ libētius hec in il-
 lū euomere uidear quā uerius. Et
 em̄ & si præcipuū esse debebat, tñ
 ita cōis erat oīm ille hostis ut in cō-
 muni odio pene equaliter uersare-
 tur odiū meū. Nō potest dici satis
 ne cogitari quidē quantū ī illo sce-
 leris quantum exitij fuerit. Quin
 sic attendite iudices nempe hec est
 quæstio de interitu P. Clodij, fin-
 gite animis. Libere enim sunt co-
 gitationes uestræ, & quæ uolunt
 sic intuentur, ut ea cernimus quæ
 uidemus. Fingite igitur cogitatio-
 ne

ORATIO PRO MILONE,

ne imaginē huius cōditionis me
 si possim efficere, ut Milonē ab-
 soluatis, sed ita si P. Clodius reui-
 xerit, quid uultu extimuis-
 tis? quānam modo ille uos unius affece-
 rat, qui mortuus inani cogitatio-
 ne percussit? Quid si ipse Cn. Pō.
 qui ea uirtute ac fortuna est, ut ea
 potuerit semper quæ nemo præ-
 ter illum, si is inquam potuisset,
 ut quæstionē de morte P. Clodij
 ferre, sic ipsum ab inferis excitare,
 utrum putatis potius facturū suis-
 se? Etiam si propter amicitiam uel
 let illum ab inferis reuocare, pro-
 pter Remp. nō fecisset. Eius igitur
 mortis sedetis ultores, cuius uitā
 si putetis p̄ uos restitui posse, noli-
 tis et de ei⁹ nece lata q̄stio est, q̄si ea
 dē lege reuiuiscere posset, lata lex

nunquam esset. Huius ergo inter
 fector nō esset in cōfitendo ab his
 īpetraturus, ne pœnā timeret q̄s
 liberauisset. Græci hoīes deorum
 honores tribuūt hīs uiris, qui tyrā
 nos necauerūt, quę ego uidi Athe
 nis, q̄ alijs in urbib⁹ gręcię, quas
 res diuinas talibus institutas uiris
 q̄s cantus: quę carmina: p̄pe ad ī
 mortalitatē & religionē, et memo
 riam consecrant. Vos tāti conser
 uatorē populi, tāti sceleris ultorē,
 nō modo honoribus nullis affici
 etis, sed ad suppliciū rapī etiā pati
 emini. Confiteretur, confiteret̄ in
 quā si fecisset, & magno aīo et libē
 ter se fecisse libertatis oīm causa,
 q̄d certe ei nō cōfitendū modo fu
 isset, uerū etiam p̄dicandū. Eteñ
 si id nō legat, ex quo nihil petit, ni
 si ut

ORATIO PRO MILONE,

si ut ignoscatur, dubitaret id fate-
 ri ex q̄ etiā p̄mia laudis essent petē-
 da: Nisi uero grati⁹ putat esse uo-
 bis sui se capitisquā uestri ordinis
 defensorē fuisse, cū p̄sertim in ea
 cōfessione si grati esse uelletis, ho-
 nores assequeret amplissimos, si
 factum uobis nō p̄baretur, quan-
 quā q̄ poterat salus sua cuiq̄ nō p̄-
 bari: sed tñ si minus fortissimi ui-
 ri uirtus ciuibus grata cecidisset,
 magno aīo cōstantiq̄ cederet ex i-
 grata ciuitate. Nā qd esset ingrati-
 us quā lætari ceteros, lugere eū so-
 lum p̄pter quē ceteri lætarentur?
 Quanquā hoc aīo semper oēs fui-
 mus in patriæ p̄ditoribus oppri-
 mendis, ut qm̄ nostra futura esset
 gloria, periculū quoq̄ & inuidiā
 nostrā putaremus. Nā quæ mihi

contribuēda laus esset ipsi, cū tm̄
 in Consulatu meo p̄ uobis ac libe-
 ris uestris ausus essem, si id q̄d co-
 nabar, sine maximis dimicationi-
 bus meis, me esse ausurū arbitra-
 rer: q̄ mulier sceleratū ac p̄nitiosū
 ciuē occidere non auderet, si peri-
 culū nō timeret: p̄posita inuidia,
 morte, pœna, qui nihilo segnus
 Rēp. defendit, is uir uere putād⁹
 ē. Pop. grati est p̄mijs afficere me-
 ritos bñ de Rep. ciues: uiri fortis
 ne supplicijs quidem moueri, ut
 fortiter fecisse pœniteat. Quā ob-
 rem utaretur eadē confessione T.
 Annius, qua Hala, qua Nasica,
 qua Opimius, qua Marius, qua
 nosmetipsi, et si grata Resp. esset,
 lætare, si ingrata, tamē in graui
 fortuna cōscientia sua niteretur.

Sed

ORATIO PRO MILONE

Sed huius beneficij gratiã iudices
 fortuna Po. Ro. & uestra foelici-
 tas & dij immortales sibi deberi
 putãt. Nec uero quisq; aliter arbi-
 trari põt, nisi q nullã uim cœlestẽ
 esse existimat numẽue diuinum,
 quẽ necq; imperij uestri magnitu-
 do, nec sol ille, necq; cœli & signo-
 rũ motus, nec uicissitudines rerum
 atq; ordines mouent, necq; id qd
 maximum est, maiorum sapien-
 tia, qui sacra, qui ceremonias,
 qui auspicia & ipsi sanctissime co-
 luerunt, & nobis suis posteris
 prodiderunt. Et est profecto illa
 uis animis neque in his corpori-
 bus atq; in hac imbecillitate no-
 stra inest quiddã q; uigeat & sen-
 tiat, & non inest in hoc tãto natu-
 ræ tam præclaro motu, nisi forte
 iccirco esse nõ putant, quia non

apparet, nec cernit, perinde quasi
 nostram ipsam mentem qua sapimus
 qua prouidemus, qua haec ipsa agi-
 mus ac dicimus, uidere aut plane
 quilibet, aut ubi sit sentire possimus.
 Ea uis, ea est igitur quae saepe incredibi-
 les huic urbi foelicitates atque opes
 attulit, quae illam praenitiem extinxit ac su-
 stulit, cui primum mentem iniecit, ut
 ui irritare ferroque lacessere fortissi-
 mum uirum auderet, uincereturque
 ab eo, quem si uicisset, habiturus es-
 set impunitatem et licentiam sempiter-
 nam. Non est humano consilio nec me-
 diocri quidem iudices deorum immor-
 taliu cura res illa perfecta. Religiones
 me hercule ipseque aegre cum illam beluam
 cadere uiderunt, commouisse se uide-
 tur, & ius in illo suum retinuisse.
 Vos, n. Albani tumuli atque luci,
 uos

ORATIO PRO MILONE

uos in quā imploro atq; obtestor
 uosq; Albanorū obrutę arę sacro
 rum P. Ro. socię & æquales, q̄s
 ille præceps amētia cælis p̄stratis
 q; sanctissimis lucis substructio
 num insanis molibus oppresse
 rat, uestrę tū arę uestrę religiōes
 uiguerūt, uestra uis ualuit, quā il
 le omni scelere polluerat. Tuq; ex
 tuo edito mōte Latialis sancte Iu
 piter, cuius ille lacus, nemora, fi
 nesq; sæpe oī nefario stupro & sce
 lere macularat, aliqñ ad eū puniē
 dum oculos aperuisti. Vobis ille
 nobis uestro in cōspectu serę, sed
 iustę tamē & debitę pœnę solutę
 sunt, nisi forte hoc etiā casu factū
 esse dicimus, ut ante ip̄m sacrariū
 Bonę deę, q̄d est in fundo T. Sex
 ti Galli in primis honesti & orna

M. T. CICERONIS

ti adoleſcētis ante ipſam inq̄ bo-
 nā deā cū plū cōmiſiſſet, primū il-
 lud uulnus acceperit, q̄ teterrimā
 mortē obiret, ut nō abſolutus iu-
 dicio illo nefario uideret̄, ſed ad
 hāc inſignē poenā reſeruat̄. Nec
 uero nō eadē ira deorū hāc eius ſa-
 tellitibus iniecit amentiā, ut ſine
 imaginib. ſine cātu, ſine ludis, ſi-
 ne exequijs, ſine lamētis, ſine lau-
 dationibus, ſine funere oblitus
 cruore & luto, ſpoliatus illius ſu-
 premi diei celebritate, quā conce-
 dere etiā inimici ſolēt, amburerē
 etiam abiectus. Non fuiſſe credo
 ſas clariffimorum uirorū formas
 illi teterrimo parricide aliquid de
 coris afferre, neq̄ ullo in loco po-
 tius mortem eius lacerari, quam
 in q̄ uita eſſet dānata. Dura mihi
 medius

ORATIO PRO MILONE

medi⁹ fidius iā fortuna Po. Ro. et
 crudelis uidebat, q̄ tot annos illū
 in hāc Rēp. insultare uideret & pa
 teretur. Polluerat stupro sanctis
 simas religiones, senatus grauissi
 ma decreta p̄fregerat, pecunia se
 palā a iudicib. redemerat. Vexa
 rat in tribunatu senatū, oīm ordi
 nū cōsensu p̄ salute Reip. gesta re
 sciderat, me patria expulerat, bo
 na diripuerat, domū incenderat,
 liberos, coniugē meā uexauerat.
 Cn. Pom. nefariū bellū idixerat,
 magistratuū priuatorūq; cædes
 effecerat, domū mei fratris incen
 derat, uastarat Hetruriam, mul
 tos sedibus ac fortunis eiecerat,
 instabat, urgebat, capere eius a
 mentiam ciuitas, Italia, prouin
 cię, regna nō poterāt. Incidebant
 iā domi leges, q̄ nos nostris seruis

addicerent, nihil erat cuiusquã quod
 quidẽ ille adamasset, quod nõ hoc an
 no suũ fore putaret, obstabat eius
 cogitationibus nemo, p̃ter illum
 Milonẽ ipsum, quod poterat obstare
 Cn. Pom. nouo reditu in gratiã
 quasi deuinctũ arbitrabat. Cæsa
 ris potentiam suã esse dicebat, bo
 norũ aĩos etiã in meo casu contẽ
 pserat. Milo unus urgebat, hic diĩ
 imortales (ut supra dixi) mentẽ de
 derũt illi p̃dito ac furioso, ut huic
 faceret insidias, aliter p̃ire pestis il
 la nõ potuit. Nunquã illũ Resp.
 suo iure esset ulta, senatus credo p̃
 torem eum circumscripsisset: ne
 cũ audebat id quidẽ facere, in pri
 uato eodẽ hoc aliqd p̃fecerat. An
 cõsules in p̃tore coercendo fortes
 fuissent: Primũ Milone eo occiso
 habuisset

ORATIO PRO MILONE

habuisset suos consules, deinde
 quis in eo prætor cōsul fortis es-
 set, per quem tribunum uirū cō-
 sularem crudelissime necatum es-
 se meminisset, omnia possideret,
 teneret lege noua, quæ est inuen-
 ta apud eū cum reliquis legibus
 Clodianis, seruos nostros liber-
 tos suos fecisset. Postremo nisi eū
 dii immortales in eam mentē im-
 pulissent, ut homo effœminatus
 fortissimum uirum conaretur oc-
 cidere, hodie Rempu. nullam ha-
 beretis. An ille prætor, Ille uero
 consul, si modo hæc templa atq̃
 ipsa mœnia stare eo uiuo tandiu,
 & consulatum eius expectare po-
 tuissent, ille deniq̃ uiuus mali ni-
 hil fecisset: qui mortuus uno ex
 suis satellitibus Sexto Clodio du-

M. T. CICERONIS

ce curiã incenderit, quo quid mi-
 serius? quid acerbius? qđ luctuo-
 sius? Vidimus templum sanctita-
 tis, amplitudinis, mentis, consi-
 lium publici, caput orbis, aram
 sociorum, portum omnium gen-
 tium, sedem ab uniuerso popu-
 lo Ro. concessam uni ordini inflã-
 mari, excindi, funestari, neq; id
 fieri a multitudine imperita, quã
 quam esset miserum id ipsum, sed
 ab uno qui cum tantum ausus sit
 ultro pro mortuo, quid signifer
 pro uiuo non esset ausus? in curiã
 am potissimum abiecit, ut eã mor-
 tuus incenderet, quã uiuus euer-
 terat, & sunt qđ de uia Appia que-
 rantur, taceant de curia, & quan-
 do ab eo spirante forũ potuisset
 defendi, cuius cadaueri non resti-
 terit

ORATIO PRO MILONE,

rit curia: Excitate excitate ipsum
 si potestis a mortuis, frangetis im-
 petum uiui cui⁹ uix sustinetis fu-
 rias insepulti, nisi uero sustinui-
 stis eos, qui cum facibus ad curiã
 eucurrerunt, cum falcibus ad Ca-
 storis, cum gladh̄s toto foro uoli-
 tarunt. Cædi uidistis Po. Ro. cõ-
 cionem gladh̄s disturbari, cum
 audiretur silentio M. Cælius tri-
 bunus plebis, uir fortissimus, &
 in suscepta causa firmissimus, &
 bonorum uoluntati & auctorita-
 ti senatus deditus, & in hac Milo-
 nis siue iuidia siue fortuna singu-
 lari, diuina & incredibili fide. Sed
 iã satis multa de causa, extra cau-
 sam, etiam nimis fortasse mul-
 ta. Quid restat, nisi ut orem, ob-
 testerque uos iudices, ut eam

M. T. CICERONIS

miseri cordiã tribuatis fortissimo uiro, quam ipse non implorat, ego etiam repugnante hoc & imploro & exposco. Nolite si in uestro omnium fletu nullam lachrymam aspexistis Milonis, si uultũ semper eundem, si uocem, si orationẽ stabilem ac nõ mutata[m] uideatis, hoc minus ei parcere. Atq[ue] haud scio an multo etiam sit adiuuãdus magis. Etenim si in gladiatorijs pugnis et infimi generis hominum conditione atq[ue] fortuna timidos & supplices, & ut uiuere liceat obsecrantes etiam odisse solemus, fortes & animosos & se acriter ipsos morti offerẽtes seruari cupimus, eorumq[ue] nos magis miseret, qui nostram misericordiã non requirunt, quam qui illam

ORATIO PRO MILONE,

iam efflagitant, quāto hoc magis
 in fortissimis ciuibus facere debe
 mus? Me quidem iudices exani
 mant & interimunt hæ uoces Mi
 lonis, quas audio assidue, & qui
 bus adsum quotidie. Valeant, in
 quit, ualeant ciues mei, sint inco
 lumes, sint florentes, sint beati,
 stet hæc urbs præclara mihiq; pa
 tria charissima, quoquo modo
 merita de me erit, tranquilla Re
 pub. ciues mei, quādo mihi cum
 illis non licet, sine me ipsi, sed per
 me tamen perfruantur, ego cedā
 atq; obibo: si mihi Repub. bona
 frui non licuerit, at carebo mala:
 & quam primum tetigero bene
 moratam et liberam ciuitatem, in
 ea cōquiescam. O frustra, inquit,
 suscepti mei labores. O spes falla

M. T. CICERONIS

ces, o cogitationes inanes meæ.
Ego cum Tri. P. Repu. oppressa
me senatui dedissem, quem extin-
ctum acceperam: equitibus Ro.
quorum uires erant debiles, bo-
nis uiris qui omnem auctoritatē
Clodianis armis abiecerāt, mihi
unquam bonorum præsiidiū de-
futurum putarē. Ego cum te (me
cum enim sæpissime loquitur) pa-
triæ reddidissem, mihi non futu-
rum, in patria putarem locum.
Vbi nunc senatus est quem secu-
ti sumus? ubi equites Ro. Illi, illi
ingit tui? Vbi studia municipio-
rum? ubi Italiæ uoces? ubi deniq;
tua, Marce Tulli que plurimis fu-
it auxilio uox et defensio, mihi ne
ea soli, qui pro te toties morti me
obtuli, nihil pōt opitulari? Nec
uero

ORATIO PRO MILONE

uero hec iudices ut ego nunc flens,
 sed hoc eodē loquitur uultu, quo
 uidetis. Negat enim se negat in-
 gratis citibus fecisse, quę fecerit,
 timidus & omnia circumspicienti-
 bus pericula, non negat. Plebem
 & infimam multitudinem, quę
 P. Clodio duce fortunis uestris
 imminēbat, eam quo tutior esset
 uestra uita se fecisse cōmemorat;
 ut nō modo uirtute flecteret, sed
 etiam tribus suis patrimonijs de-
 liniret, nec timet cum plebem mu-
 neribus placarit, uos non conci-
 liarit meritis in Rempu. singula-
 ribus, Senatus erga se beneuolen-
 tiam temporibus his ipsis sępe et
 se perspectam. Vestras uero & ue-
 strorum ordinum occursatiōes,
 studia, sermones quemcūq; ca-

M. T. CICERONIS

sum fortuna dederit) secum ablatum esse dicit. Meminit etiam sibi uocem preconis modo defuisse, quam minime desyderat, populi uero cunctis suffragijs quod unum concupierit se consullem declaratum. Nunc denique si hæc contra se sint futura, sibi facinoris suspicionem non facti crimine obstare. Addit hæc quæ certe uera sunt, fortes & sapientes uiros non tam premia sequi solere recte factorum, quam ipsa recte facta. Se nihil in uita nisi præclarissime fecisse. Si quidem nihil sit præstabilius uiro quam periculis patriam liberare, beatos esse, quibus ea res honori fuerit a suis ciuibus, nec tamen eos miseros, qui beneficio ciues suos uicerint. Sed tamen ex omnibus præ

ORATIO PRO MILONE

p̄mijs uirtutis, si esset habenda ra-
 tio p̄miorum, amplissimum es-
 se p̄mium gl̄oriam, esse hanc u-
 nam, quæ bræuitatem uite poste-
 ritatis memoria cōsolaretur, quæ
 efficeret, ut absentes adessemus,
 mortui uiueremus. Hanc deniq;̄
 esse cuius gradibus etiã homines
 in coelum uideant̄ ascendere. De
 me, inquit, semper populus Ro.
 semper omnes gentes loquētur,
 nulla unquam obmutescet uetu-
 stas: quin hoc tempore ipso cum
 omnes a suis inimicis faces inui-
 diæ meæ subijciantur, tamen om-
 ni in hominum cœtu gratijs agē-
 dis & gratulationibus habendis
 & omni sermone celebramur. O-
 mitto Hetruriæ festos & actos &
 institutos dies. Centesima lux est

M. T. CICERONIS

hæcab interitu P. Clodij, & Opino-
nor altera, qua fines imperij Po-
Ro. non solum fama iam de illo,
sed etiã lætitia peragrauit. Quam-
obrem ubi corpus hoc sit non in-
quit laboro, quoniam omnibus
in terris & iam uersatur, & semp
habitabit noīs mei gloria. Hæc
tu mecum sæpe his absentibus,
sed ijsdem audientibus. Hæc ego
tecum Milo, te quidē quod isto
año es satis laudare non possum,
sed quæ est ista magis diuina uir-
tus, eo maiore a te dolore diuel-
lor. Nec uero si mihi eriperis re-
liqua est illa tamē ad consolandū
querela, ut his irasci possim, a qui-
bus tantū uulnus accepero. Non
enim inimici mei te mihi eripiēt,
sed amicissimi, non male aliquan-
do de

ORATIO PRO MILONE

do de meriti, sed semper optime. Nullum unquam iudices mihi tantum dolorem inuretis, & si, quis potest esse tantus? sed ne hunc quidem ipsum, ut obliuiscar quanti me semper feceritis, quæ si uos cœpit obliuio, aut si in me aliquid offendistis, cur id nō meo capite potius luitur quā Milonis? præclare enim uixero si quid mihi acciderit, prius quam hoc tantum mali uidero. Nunc me una consolatio sustentat, quod tibi o Ti. Anni nullum a me amoris, nullū studiū, nullum pietatis officium defuit, ego inimicitias potētium pro te appetiui, ego meum sæpe corpus & uitā obieci armis inimicorū tuorum, ego me plurimis pro te supplicē obieci, bona,

fortunas meas ac liberorū meorū
 in cōmunionē tuorū temporū cō
 tuli, hoc deniq; ipso die si qua uis
 est parata, si qua dimicatio capitis
 futura, depono. Quid iā restat?
 qd habeo? qd faciā pro tuis in me
 meritis, nisi ut eā fortunā, q̄cūq;
 erit tua, ducā meā? Nō recuso, nō
 abnuo, uosq; obsecro iudices, ut
 uestra beneficia, q̄ i me cōtulistis,
 aut in hui⁹ salute augeatis, aut in
 eiusdē exitio occasura esse iubea
 tis. His lachrymis nō mouet Mi
 lo, est quodā incredibili robore
 animi sept⁹. Exiliū ibi esse putat,
 ubi uirtuti nō sit locus: mortē na
 ture finē esse, nō pcenā. Sic hic ea
 mente qua natus est, qd uos iudi
 ces, q̄ tandē aīo eritis? memoriā
 Milōis retinebitis? ipsū enī cictis?

ORATIO PRO MILONE.

& erit dignior loc⁹ i terris ull⁹ qui
 hac uirtute excipiat, q̄ hic q̄ p̄re
 auit. Vos uos appello fortissimi
 uiri, q̄ multū p̄ Rep. sanguinē ef
 fudistis. Vos i uiri & i ciuis inui
 cti appello periculo, cēturiones,
 uosq̄ milites, uobis non mō spe
 ctatibus, sed etiā armatis, & huic
 iudicio p̄fidētibus hęc tāta uirtus
 ex hac urbe expelletur, extermina
 bit, eñcietur. O me miserū. O me
 in foelicē, reuocare tu me in patriā
 Milo potuisti p̄ hos, ego te in pa
 tria p̄ eosdē retinere non potero.
 qd respondebo liberis meis, qui
 te parentē alterū putāt quid tibi?
 Qu. Frater, qui nūc abes confor
 ti mecum temporū illorū, me nō
 potuisse salutem Milonis tueri p̄
 eosdem per quos nostram ille ser

M. T. CICERONIS

uasset. At in qua causa non potu-
isset quæ est grata gētibus, a qui-
bus non potuisse; ab his qui ma-
xime P. Clodij morte acquirerūt,
quo deprecante me, quodnam
concepi tantum scelus, aut quod
in me tātum facinus admisi iudi-
ces, cū illa indicia cōmunis exitij
indagauī, patefeci, protuli, extin-
xi, oēs in me meosq; redundant
ex illo fonte dolores, quid me re-
ducem esse uoluistis; an ut inspe-
ctante me expellerentur n̄, per q̄s
essem restitutus. Nolite obsecro
uos pati mihi acerbiorē reditum
esse, q̄ fuerit ille ipse discessus.
Nam qui possum putare me resti-
tutum esse, si distrahor ab n̄s, per
quos restitutus sum. Vtinam dij
immortales fecissent (pace tua pa-
tria di

ORATIO PRO MILONE

tria dixerim, metuo enim ne scelerate dicam in te quod pro Milone dicam pie) ut P. Clodius non modo uiueret, sed etiam prætor, consul, dictator esset, antequam hoc spectaculum uiderem. O dii immortales fortem & a uobis iudices conseruandum uirum. Minime minime inquit, immo uero pœnas ille debitas luerit. Nos subeamus, si ita necesse est, non debitas: hiccine uir patriæ natus usquam nisi in patria morietur? aut si forte pro patria huius uos animi monumenta retinebitis, corporis in Italia nullum sepulchrū esse patiemini? Hūc sua quisquā sentētia ex hac urbe expellet: quē omnes urbes expulsū a uobis ad se uocabunt? O terram illam

beatam, quæ hūc uirū exceperit,
hācigratā si eiecerit, miserā si ami-
serit, sed finis sit. Neq̄ enim p̄ la-
chrymis iā loqui possum, & hic se-
lachrymis defendi uetat. Vos o-
ro obtestorq̄ iudices, ut in sentē-
tijs ferēdis, q̄d sentietis id audea-
tis, uestrā uirtutē, iusticiā, fidem
(mihī credite) is maxime proba-
bit, q̄ in iudicijs legendis opti-
mū & sapientissimū quēq̄ legit.

FINIS.